CAIETANI MONTII

SERMONES

HABITI IN LYCEO MAGNO BONONIENSI

QVVM

CIVES EXTERIVE

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE LAVREA

DONARENTVR

BONONIAE

EX OFFICINA SASSIANA

A. MDCCCXXXI.

PERMISSV PRAESIDVM.

IOSEPHO MINARELLIO SAC.

COOPTATO IN COLLEGIVM PHILOLOGORVM

RECTORI LYCEI MAGNI BONONIENSIS

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. P. D.

Cum paucis ante diebus non adfuissem modo, uti saepe alias, frequentissimo Collegiorum Lycei nostri conventui, verum etiam Sermonem de more habuissem, cum Iuvenes nonnulli expleto studiorum suorum curriculo Philosophiae laurea donandi essent, nescio

quomodo ea temporà mente, et cogitatione repetii, quum in primo aetatis meae flore iis conventibus auditor interesse consuevi, in quibus pro veteribus Philosophorum, Medicorumque Collegiatorum legibus, atque institutis incomparabilis vir Cajetanus Montius modo Philosophiae, modo etiam Medicinae laurea cives, exterosque identidem decorabat: idque eo facilius, ac libentius in memoriam revocavi, quod Sermonum a Montio iis in celebritatibus habitorum autographa, quod tute fortasse nosti, Minarelli praestantissime, apud me sunt ad unum omnia, quorum aliqua in lucem pro re nata emisi, alia sum brevi emissurus. Equidem Montii Sermonum elegantiam, dignitatemque si cum Sermonis mei exilitate comparavissem, erubescere debuissem. Sed omnem ex animo comparationem prudens abjeci, atque una Montii Sermonum excellentia captus, eorumque recitandorum praeclaras, splendidasque caussas recolens, jucundissima recordatione delectabar.

Ex iis, quos edidi, eum memini me Sermonem, eorumque nisi fallor omnium, quotquot audivi, primum, quem Montius habuit, cum Philosophiae, et Medicinae Doctorem ex utriusque Collegii auctoritate dixit Iosephum Attium, magnum illud in chirurgia praesertim facienda totius Italiae, nedum patriae, lumen, atque ornamentum. Me item audiente duos habuit Montius alterum post alterum paucis interjectis diebus Sermones in Philosophorum, Medicorumque numerum relaturus Cajetanum Vinea a Ferro, et Paullum Verratum, viros universae civitatis consensu a scientia, atque integritate, et religione probatissimos. Auribus pariter meis eum excepi Sermonem, quo Montius Philosophiae laurea exornavit Petronium Collivam in maxima, quam de singulari doctrina excitaverat, exspectatione florentibus juventutis annis morte interceptum. Postremum, quoad recordari possim, a Montio Sermonem audivi, cum is legitima Doctoris Philosophi insignia

detulit Ioan. Baptistae Canterzano Sebastiani filio cum egregia studiorum ratione, tum perrara morum probitate dignissimo et qui a Montio commendaretur, et qui talem haberet patrem. De patre Philosophiae lauream merito, celeberrimo dein per Europam viro, Sermonem omnium primum in lucem dedi, tum et de Gabriele Brunellio Praefecto Horti plantarum exoticarum, et de Ios. Theodorico Borsierio Philosopho, et Medico Tridentino, et de Iul. Caesare Cingaro Philosopho item, et Medico, et de Francisco Sacchetto Astronomo, et Doctore Algebrae, et Geometriae, suarum quibusque disciplinarum titulos, atque honores adeptis, viris clarissimarum virtutum praestantia optimo jure ac merito laudatissimis, de his, inquam, omnibus Sermones haud multis abhinc annis alios post alios evulgavi. At non ita pridem officinatori librario magna cum voluptate edendos tradidi duos, quibus duo celebrantur viri inter Doctores Philoso-

phos a Montio renunciati, quorum mihi suavissima, neque ullo unquam tempore interitura memoria est cum propter eximiam doctrinae, qua claruerunt, praestantiam, tum propter singularem in me beneficentiam, Gregorius Casalius Comes, et Aloisius Palcanus; quorum uterque, ut mittam dicere de iis, quae erga me benevolentiae argumenta, dum viverent, dederunt, insigniter suis me testamentis honoraverunt; quippe quia Casalius quartam bibliothecae suae partem mihi legavit, cum reliquas partes tres Alamanno Insulano Comiti, Sebastiano Canterzano, quem supra nominavi, et Philippo Tacconio Advocato singulas singulis legavisset; Palcanus autem cum philosophicos praesertim, quos suis sibi sumptibus comparaverat libros, Iosepho Venturolio, insigni domi forisque Mathematico, reliquisset, quam ipse a Ioanne Elephantutio Comite hereditate acceperat, copiosam utique selectamque bibliothecam mihi transmissam voluit universam. At quid ego tibi ista

commemoro? Nescio, mihi crede, idem ipse: id quasi nolens praestiti. Quod si gloriolae quidpiam in hacce commemoratione aucupatus forte videar, tu me velim excuses, eamque a grati, memorisque animi sensu profectam reputes. Verum enimvero ut ad id veniam, cur has tibi litteras scribere constitui, hoc me scito in animum induxisse meum, ut Montii Sermones, de quibus modo dixi, cum in unum satis amplum volumen collegissem, illud tibi non solum dono darem, sed etiam dedicarem. Quid porro esse potest, quod vel mireris, vel recuses? Tu enim pro singulari tua virtute Rectoris Lycei nostri cum fungaris munere, atque adeo quamplurimam in iis, quae ad juvenes laurea in quavis disciplina exornandos attinent, partem habeas, Sermones, qui in ejusmodi argumenti genere versantur, te prope appellant, ad te venire gestiunt, tui esse volunt. Eos ad te deferet Ios. Maphaeus fratris mei filius, qui omnium edendorum cu-

ram suscepit: tu libenti animo excipias rogo; quin sis excepturus non dubito. Vale; meoque nomine Iosephum Mezzofantum avunculum tuum, illud temporum nostrorum, uti Petrus Giordanius ad Vincentium Montium scribens affirmavit, miraculum, etiam atque etiam salvere jube. Iterum vale, meque amare perge.

Domi XI. Kal. Aug. A. MDCCCXXX.

SERMO

HABITVS XVII. K. IVL. A. MDCCLVI.

QVVM

SEBASTIANVS CANTERZANVS

PHILOSOPHIAE LAVREA

DONARETVR

IOAN. BAPTISTAE MAGISTRINIO

DOCTORI LYCEI MAGNI

PRAESIDI COLLEGII PHILOSOPHORVM

ET MATHEMATICORVM

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

Vix queo dicere, Magistrini praestantissime, quanta sim voluptate affectus, quum laudationem, quam pro tua erga me benevolentia mihi donum dedisti, a viro clarissimo Ferdinando Landio Marchione in Sebastianum Canterzanum lucubratam legerem. Nimirum quod optaveram, ac fore mihi ipse fueram pollicitus, ut vir summus de summo viro apte

convenienterque scriberet, perfectum est. Neque vero id unus ego sentio; sed idem plane sentit, quem probe nosti, acerrimus rerum aestimator, collega noster, mihique amicissimus, Aloisius Tagliavinius, cui laudationem legendam tradidi, tum quod illi gratum me facturum prospiciebam, tum eo etiam consilio, uti ea de lucubratione quod ille judicium ferret, cognoscerem; ejusmodi vero tulit, quod facile exspectabam: doctam, gravem, scite subtiliterque elaboratam affirmavit, eam omnino, quam nisi mathematicus magnus conficere potuisset. Pro certo autem habeo neminem futurum, quin idem plane judicium ferat: idipsum te jam tulisse non dubito; quod quidem, cum primum coram te alloqui licebit, intelligam perlibenter: tuum porro judicium (quae mea est de ingenii tui vi, deque tua excellenti doctrina opinio) tanti faciam, ut ab eo appellari non posse putem. Interea dē praeclaro hoc munere tuo tibi gratias ago, referre etiam mihi videor posse,

de re haud quidem mea, sed aliena, sic tamen opportuna, ut nihil magis. Mittam enim tibi Sermonem, quem de eodem Canterzano jampridem habuit Cajetanus Montius, quum is philosophiae laurea Canterzanum honestaret. Quis quantusque fuerit Montius, nihil attinet dicere; cujus admirabilis rerum prope omnium scientia cum ex ipsiusmet operibus qua editis, qua nondum editis, tum ex commentariis elucet, quos vir litteratissimus Franciscus Tognettus omnium primus, deinde Aloisius Rodatus medicus eximius de ejus vita, scriptisque posteritati tradiderunt. Facile mihi persuadeo Sermonem huncce abs te probatum iri; quem postquam legeris, cum Landio nomine meo communicabis: quod si feceris (ut autem facias rogo) gratiam et ipsi me retulisse arbitrabor, quod sermunculum illum, quem paucis a Canterzani interitu diebus in Lyceo nostro recitavi, habuisse se peracceptum humanissime declaraverit. Eidem certe cum litteras dabis, de laudatione

sua cum eo velim etiam atque etiam meis verbis gratulere. Enimvero praeclare cum Canterzano actum puto, quippe quem et Montius, et Landius laudandum susceperint; laudari enim a laudatis viris res habita semper est perhonorifica. Vale, Magistrini optime, atque, uti facis, me amare perge.

Domi VII. *K. Oct. A.* MDCCCXXVI.

Archytas Tarentinus vir clarus, et magnus, et in illa veteri Italiae Graecia, quam suis praeceptis Pythagoras imbuerat, sapientiae laude excellens, cum de instituenda ad virtutem hominum vita sermonem aliquando esset ingressus, in amplissimo conventu Graecorum, Italicorumque Procerum, cui et summus Philosophus Plato, et Pontius Herennius clarissimus Samnitium dux praesentes aderant, orationem copiosam habuit, gravem, splendoris, ac dignitatis plenam; quae non modo in eorum animis, qui audiebant, alte, et penitus insedit, sed foras etiam excepta, aliisque et aliis per manus tradita, postremo etiam manavit ad posteros; multisque post saeculis celebrata ubique sapientum sermonibus, clarissimum divini illius ingenii monumentum exstitit, ut cujus naufragio exstincti sepulcrum nusquam esset, memoria tamen vel ex illa una oratione maneret sempiterna. Deploravit enim

calamitatem generis humani, quod mente, et ratione divinitus informatum, ad rerum superarum, ac caelestium contemplationem, et cognitionem factum, eâque praeditum animi vi, quae corpori dominari deberet, et posset, sic tamen in abjectissimum servitium corporis praeceps rueret, ut qui tam praestanti dono sapienter uti nossent, pauci admodum reperirentur; plerique vero voluptatum illecebris capti, atque irretiti, et quasi vinculis quibusdam adstricti, vix aliquid possent, nisi de quaerendis corporis bonis, nisi de insanissimis cupiditatibus explendis cogitare. Neque vero tanti mali aliam esse caussam, quam quod effraenatam illam, insitamque in omnibus voluptatis potiundae appetentiam, quam coercere, ac reprimere par esset, immodicis deliciis alerent, ac roborarent. Non enim aliam capitaliorem pestem, quam voluptatem a natura datam; hanc sapientiae inimicam, hanc corruptricem morum, hanc vitiorum fomitem, hanc labem, perni-

ciemque virtutis: neque omnem tantummodo attenuari ab ea, et exstingui honestatis, ac probitatis sensum; sed obtundi etiam mentis aciem, illudque ipsum rationis lumen, quo ad veritatis cognitionem nitimur, crassis quasi tenebris misere offundi, atque obscurari. Ex eo sequi nihil esse tam exitiosum quam voluptatem; quae si major forte esset, ac diuturnior, caelestis originis animum in terram prorsus depri- meret, et altius demergeret, ipsumque hominem, Divinae Mentis imaginem, ratione, ac consilio spoliatum brutis animalibus simillimum redderet.

Equidem cum mecum reputo tam praeclare de continendis cupiditatibus disseruisse hominem a geometrico pulvere, et radio nuper digressum, Archytam illum et terrae, et maris, et carentis numero arenae dimensorem, etsi negare non possum, cuilibet hominum generi propositam arctiorem illam instituendae vitae rationem; sic mihi tamen persuadeo, sic sentio, eo sermone vel maxime illis commenda-

tam, qui rerum occultarum investigationi, et cognitioni tradiderunt sese; testatumque voluisse gravem, ac prudentem virum, quod in se ipso fuerat expertus, non posse quemquam in sapientiae studio, sive in liberalibus disciplinis, ac praesertim in geometricis, magnopere proficere, qui ab importunis commotionibus liberum ad eas non attulisset animnm, nullisque turbulentioribus desideriis implicatum. An vero existimabimus potuisse illum tantam, et tam late diffusam consequi scientiam rerum obscurissimarum, tam multa de lineis, de figuris, de numeris, de proportionibus, tam varia, tam multiplicia, tam recondita animo, et mente agitare, ignotissimas cubi proprietates omnium principem evolvere, et aperire; tot machinas, tam artificiosas, ad cognitionem pulcherrimas, ad humanae vitàe commoda utilissimas excogitare, et construere, caelestia spatia peragrare, solis, et lunae, et aliorum siderum cursus, tempora, intervalla, et magnitudines dimetiri; nisi amputatis undi-

que, et circumscriptis cupiditatibus, repulsisque perniciosis naturae blandimentis suarum ipse praeceptionum severitatem singulari vitae continentia expressisset? Non equidem arbitror fieri potuisse; ipsae enim mathematicae disciplinae quanto subtilitate antecellunt aliis, tanto etiam expeditiores, promptioresque requirunt animos, et ab terrenis hujusmodi vinculis, ac compedibus solutiores. Itaque illi ipsi Philosophi, qui omnem sapientiae summam in voluptatis conquirendae cura posuerunt, quique res natura tam dissidentes nescio tamen qua ratione conciliare, et componere ingressi sunt, omnes plane sese a Mathematicorum praeceptis, atque institutis longissime removerunt. Quid enim de Aristippo suspicemur, cum is, qui in voluptatis patrocinio moderatior fuit Epicurus, tam rudem se in his studiis praebuerit, ut solem ipsum tantulum esse judicaverit, quantus oculis cernitur, neque ante in suam disciplinam Poliaenum receperit, quam geometrica instituta, quibus im-

butus fuerat, repudiare, ac dediscere coegisset; propemodum ac si voluptaria illa philosophia, quam profitebatur, mathematicis disciplinis perpetuum, ac inexpiabile bellum haberet indictum. Atque haec mihi videtur esse caussa praecipua, cur in his studiis, quae et summo nunc in honore sunt, et ipsa rerum dignitate, ac pulcritudine se tuentur, non tamen admodum multi sint qui excellant; nimirum quod sine magna animi contentione, sine plurimo labore, sine multa etiam abstinentia ab iis rebus, quibus pars magna hominum trahi solet, ad aliquam in iis laudem adspirare nemini conceditur. An forte existimamus, si illud fieri posset, si rerum natura pateretur, ut idem homo in perpetua remissione animi viveret, nullum convivium respueret, non comessationes ullas, non cantus, non ludos in multam noctem productos, omnibus omnino frueretur vitae amoenitatibus, et nihilominus admirabiles progressus in geometricis, in analyticis, in astronomicis faceret, non ex-

cellentium Mathematicorum incredibilem ubique copiam futuram?

Sed quid ego aut rationes amplius conquiram, aut sapientum auctoritatem ab ultima vetustate repetam? Adspicite hunc Iuvenem, qui coram adest, quemque praeclara indoles, liberalissimis exculta studiis, vobis commendat; is documentum esse potest, quantum ad egregiam in mathematicis laudem assequendam valeat temperata quaedam, et aequabilis, et frugalitatis legibus adstricta vitae institutio. Videte ut in eo nihil elucet nisi modestum, nisi compositum, nisi ad singularis cujusdam ingenuitatis, ac docilitatis speciem effictum! Sed fuerint haec dona naturae: fuit illud certe virtutis, haec et alia multa naturae dona, ingenii acumen, mentis celeritatem, memoriae firmitudinem non luxu, aut otio corrumpere, sed industria, atque exercitatione ad laboriosum illum, et arduum, quem sibi proposuerat, vitae cursum mature accendere, et commovere. In ephebis adhuc cum esset, philosophica

instituta uberrimo ex fonte hausit, ac limpidissimo, eum praeceptorem nactus (1), qui et ingenii magnitudine, et judicii soliditate ad rerum quarumque maximarum scientiam, ac professionem natum se ostenderet. Toto illo tempore nihil fuit, quod ab intentissimo eum studio avocaret, nulla relaxatio, quamlibet illi aetati concessa, diutius quam par erat, habuit impeditum. Post ad Geometriam, et Mathematicas disciplinas animum convertit; neque dubitavit quem sibi auctorem, ac ducem potissimum deligeret; nempe ex ea domo, quae cum omni elegantioris doctrinae cultu, tum vero istarum artium laude semper floruit (2). Astronomo, et Geometrae clarissimo erudiendum se tradidit; ab eo postea non discessit; in geometricis, et analyticis sic profecit, omnem caelestium ordinem, ac rationem sic tenuit, ut ejus judicio vehementer probatus esset, qui de his rebus posset optime, ac verissime judicare: placuit viro sapientissimo, multum cum

(1) Hercules Cussinus. (2) Eustachius Zanottus.

eo versatus est in operosissimis supputationibus, multas cum eo noctes in observatione siderum transegit, multorum fuit cum eo laborum, multarum quoque vigiliarum, ac lucubrationum socius. In quibus omnibus etsi non popularem laudem, aut plausum, sed verum, ac solidum decus quaesivit, magisque ut esset doctus, quam ut existimaretur, laboravit, tamen nos aequum est, arcessito etiam extrinsecus titulorum splendore, debita referre virtuti praemia.

SVRGE IGITVR . .

Et accipe decreta haec tibi judicio sapientissimorum Patrum ornamenta ... coronam capiti... anulum digito... honoris, ac dignitatis insignia, quae in isto aetatis flore te adeptum reputans, facile intelliges, quae sit nostra exspectatio illius temporis, cum tam praeclara naturae bona, quae adhuc in te viridia sunt, peracto annorum cursu, suam denique habuerint maturitatem... Libros tibi trado, modo apertos, mode clausos, qui illud moneant, doctrinae,

ac sapientiae thesauros non tibi tantum reconditos esse oportere, sed liberaliter proferendos, et cum aliis communicandos... Hic amplexus et nostri erga te amoris significationem praebeat, et illius concordiae, ac consensionis, qua universos cultores bonarum artium, et maxime eorumdem studiorum, decet esse conjunctissimos. Meminisse te volumus, quod ille idem Archytas dicebat; si datum alicui foret in caelum ascendere, astrorum omnium pulcritudinem contemplari, circuitus mirabiles, reditus, conversiones clare perspicere, leges omnes, et caussas rerum tam sublimium, et abditarum penitus exploratas habere, omni tamen cariturum jucunditatis fructu, nisi aliquis exsiteret, quo cum eadem sibi communia facere posset.

Quae omnia in Dei Omnipotentis, ejusque sanctissimae Genitricis honorem, et laudem, in tui quoque augmentum famae, et istorum Collegiorum perenne decus, et ornamentum, fauste ut eveniant opto, et prospere eventura confido.

SERMO

HABITVS XVI. K. IVL. A. MDCCLXXXI.

QVVM

PETRONIVS COLLIVA

PHILOSOPHIAE LAVREA

DONARETVR

IOSEPHO COLLIVAE SAC.

DOCTORI ETHICES

IN LYCEO MAGNO BONONIENSI

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

Deprompsi non multis ante diebus, Colliva mi suavissime, quae in scriniis meis diligenter asservo, Cajetani Laurentii Montii αὐτόγραφα, ut sermonem ab eo tum habitum in Lyceo nostro, cum Sebastianum Canterzanum philosophiae laurea donavit, excerperem, eumdem Ioanni Baptistae Magistrinio Collegae meo praestantissimo gratificandi caussa traditurus.

Ea occasione factum est, ut is etiam sermo inter ceteros in manus venerit, quem idem Montius tum habuit, cum philosophiae item laurea donavit Petronium Collivam patrem tuum. Quem quidem sermonem ut vidi, tecum illum communicare decrevi, rem tibi facturum me ratus perjucundam. Verissimas a summo viro tributas videbis laudes patri tuo; qui praeceptorem cum habuerit Canterzanum, tanto enimvero praeceptore dignissimus extitit: eum prope affirmaverim, si vita superfuisset, alterum futurum Canterzanum. Quod ne abs me temere dictum arbitreris, facit Canterzani ipsius judicium, qui illum sibi Adjutorem a Commentariis Collegii Sophorum Instituti Marsiliani delegerat, atque adeo successorem sibi designaverat. Heu quanta est facta ex immaturo ejus interitu jactura! Sed

nolim dum officium in te meum prodere animus est, acerbissima esse me tibi molestum recordatione. Quamquam virtutem ego tuam novi; neque vereor; ne quod hic tibi sermo patris tui amissionem in mentem revocet, eum tu sis minus libenter accepturus. Eumdem ego quidem perlibenter ad te mitto obsequentis gratique animi mei testem. Quanti enim te faciam, confirmare prae ceteris potest Iosephus Zama Mellinius Canonicus, amicus idem tuus, idem meus, quocum de te, tuaque ingenii vi, ac doctrina persaepe verba facio. De humanitate autem erga me tua cum dicere multa possim, id aperiam unum, quod mihi accidit et carissimum, et perhonorificum; quod scilicet gratia officiisque tuis effeceris, ut ipse ab eruditissimo viro Francisco Cancellierio, litteris suavitatis, ac benevolen-

tiae plenissimis ad me datis, in suos me receptum luculenter cognoverim. Non dubito, quin homini, quippe tui amantissimo, pergratum sit futurum, si hujus tu sermonis eidem copiam feceris. Cura, ut valeas.

Domi IIII. Non. Oct. A. MDCCCXXVI.

Quid ego causae fuisse existimem, cur Majores nostri, quum illis omnibus, qui vel in Sacris Divinisque Litteris, vel in Iuris sive Pontificii sive Civilis scientia, vel in Philosophiae institutis, vel in Medicae artis cognitione multum se profecisse legitime docuissent, certos honoris gradus, certos titulos, certa dignitatis insignia constituerint, quibus et inter ceteros cives eniterent, et ad gravissima etiam munera et officia sustinenda apti ab omnibus judicarentur; de illis, qui in Mathematicis excellerent, non simile aliquid cogitaverint; quin potius, nisi alia fortasse nixos ingenii facultate, praemiorum prope, atque ornamentorum ejusmodi omnium reliquerint expertes? An quod eas artes negligerent, aut parvi penderent? longe hoc ab eorum sapientia, et gravitate: satis illi profecto no-

verant quanto semper in honore apud omnes nationes fuissent, quanta florentes gloria ac dignitate: utilitatem vero earum, atque adeo necessitatem cum in aliis rebus multis, tum maxime in tristissimis alluvionibus, quae agrum nostrum tot saeculis vastaverant, magno saepe cum fructu fuerant experti. Verius illud dixerim tam cohaerere visas cum Philosophia, tam arcto cum ea connexas esse vinculo, ut peculiari honorum genere ac titulo Mathematicis non opus esse existimarint, cum ad illos, quos communes cum Philosophis habere poterant, suscepta eorum persona, non difficilis ipsis aditus pateret. Enimvero quid tam conjunctum cum Philosophia, quam Matheseos studium cogitari potest? Si enim veritatis amor ita Philosophi est proprius, ut una veri cognoscendi cupiditas, id quod gravissimis Viris placuisse video, Philosophiam pepererit, quae alia reperietur mentis exercitatio, aeque ad veritatem ex tenebris, quibus saepissime est offusa, eruendam idonea, quam quae ex assidua earum rerum

commentatione, de quibus agunt Mathematici, et ex eo, quo illi utuntur, meditationis atque argumentationis ordine comparatur? Hinc nimirum optima ratio discernendi, atque internoscendi clara ab obscuris, distincta a confusis, certa ab incertis, probabiliora a minus probabilibus: hinc demonstrationum vim perpendendi, ac de rebus quibusque acute ac severe judicandi expeditior facultas: hinc in observando, et in eo inferendo, quod ex observatione consequitur, accurata consideratio, et circumspectio: hinc in arcanis naturae occultioribus investigandis, et in experimentis capiundis sagacitas et sollertia.

Quod si disciplinarum hujusmodi initia ab ultima antiquitate placeat repetere, facile apparebit non prius ortam esse Philosophiam, quam Mathesis fuerit exculta; priscosque illos Sapientes, quorum ad nos fama pervenit, sic utramque simul complexos fuisse, ut alteram praesidio alterius orbatam stare vix posse reputaverint. An vero Thales

ille Milesius, qui fuit unus e septem, et princeps omnium philosophandi studium in Graecorum mores invexit, non primus etiam ex ea gente fuisse traditur, qui astrorum magnitudines ac distantias metiri auderet, primus qui, apte inita caelestium circuituum supputatione, Solis et Lunae defectiones certo tempore eventuras praediceret? Pythagoram postea accepimus, a quo Philosophia Italica dicta manavit, ex numeris et Mathematicorum initiis doctrinam suam omnem deduxisse, eundemque tanta diligentia ac subtilitate Geometrica tractasse, ut propter singulare quoddam in eo genere inventum Musis immolavisse victimas, vere an falso quaerere nihil attinet, fuerit existimatus. Socrates, quem ajunt Philosophiam a motuum caelestium, aliarumque rerum ejusmodi contemplatione devocasse, et ad formandos hominum mores traduxisse, a Platone tamen, qui praeceptorem optime nosse debuit, multa geometrico more de quadrati dimensione puerum interrogans quodam in dia-

logo inducitur. Platonem ipsum quis nescit et summum ipsum fuisse Geometram, et tanti Mathematicas institutiones fecisse, ut neminem ab iis non instructum scholam suam ingredi pateretur? quod ad res altiores, et a sensibus abstractas perscrutandas satis eum vix idoneum reputaret, qui non ad ejusmodi cogitandi et commentandi rationem geometrica exercitatione animum diligenter praeparasset. Neque de hoc numero eximendus Aristoteles, quem ex intima Geometria depromptis exemplis sua ubique scripta videmus refersisse. Nam illi quidem vix Philosophorum digni nomine, si qua fuit eorum secta, ut de Epicureis proditum, qui se omnis plane Mathematicae eruditionis expertes dici et haberi vellent.

Quod si a vetustissimis illis Philosophiae inventoribus et quasi architectis ad eos nos convertimus, qui obrutam illam plurium saeculorum barbariem, recenti memoria instaurare ac restituere aggressi sunt: Galileos dico, Cartesios, Gassendos, Neutonos, et alios eo-

rum similes, non alia re magis, quam Mathematicis praesidiis instructos tantum opus suscepisse reperiemus.

Neque tamen haec omnia perinde intelligi velim, ac si una esset artis utriusque perceptio ac disciplina; eademque opera, qua quis in Mathematicis perdiscendis elaborasset, posset etiam cognitione ceterarum rerum, quae ad Philosophiam pertinent, animum imbuere. Sed illud non dubitanter affirmaverim, quod est a sapientissimis Viris traditum, et quotidiana experientia comprobatum, eum qui Matheseos cultum Philosophiae institutioni praemiserit, aut cum ea conjunxerit, debitamque assiduitatem ad studium utrumque attulerit, vel in Philosophia ipsa mirificos facturum progressus, ejusque longe exquisitiorem ac profundiorem sibi intelligentiam comparaturum.

Exemplo tu esse potes, lectissime Candidate, qui florentissima aetate Mathematicae disciplinae cursum cupidissimo animo ingressus, et singulas ejus partes alacriter percurrens, sic fere

eodem tempore Philosophica instituta avide arripuisti, ut perpolitus jam in illis, ac perfectus, gradum amplissimum dignitatis, non quasi aliena indutus persona, sed Philosophiae ipsius jure proprio et nomine obtinueris. Nihil sane tibi a natura defuerat, quo minus ad propositam tibi metam et acriter contendere, et feliciter pervenire posses: non ingenium docile ac promptum, non singularis intelligentiae vis, non firma ad res perceptas custodiendas memoria, non optimus sensus, et ad vera a falsis discernenda exquisitum judicium. Sed parum valuissent, opinor, tot naturae bona, nisi ad satis uberes ex iis fructus colligendos industriam, vigilantiam, studium, lectionem commentationemque assiduam, quotidianam exercitationem, perpetuam denique et constantem proficiendi voluntatem adhibuisses. Quid ego singula hoc loco referam? Habebas quem quotidie audires, cujus te ad imaginem conformares, Virum omni doctrina et virtute ornatissimum, Collegam nostrum Praeceptorem tuum, in quo

singularis plane Philosophicarum ac Mathematicarum rerum scientia, eximia cum humanitate, modestia, et ingenuo quodam animi candore certaret. Eo auctore, duce, impulsore, et magistro Dialecticis, Physicis, Geometricis, Mechanicis, Opticis, Hydrostaticis, et in quibus tuum maxime se extulit ingenium, Analyticis doctrinis sedulam dedisti operam, meritoque tuo illud celeriter assequutus es, ut et idem ipse, et ceteri doctissimi ac prudentissimi Viri, quorum praeceptis, consiliis, et monitis usus fueras, praecipuo quodam amore te dilexerint, et ad suscipienda legitima haec dignitatis insignia nunquam destiterint adhortari: quod gravissimum tibique cum primis honorificum sapientissimorum hominum judicium amplissimus etiam hic noster conventus et coetus hodiernis suffragiis comprobandum censuit.

IGITVR SVRGE . . .

In his codicibus, quos vides, limpidissimos doctrinae fontes . . . . non equidem nunc primum tibi aperio, qui

jamdiu ex ipsis haurire, tuamque sitim honestissimam explere consuevisti, sed eos tibi trado... tuaeque committo potestati, quos videlicet opportune possis aliis recludere, quoscumque pari desiderio flagrantes inveneris, in eorumque utilitatem et commodum derivare.

Amictu isto te insignem ... laurea corona redimitum ... annulo et gemma praefulgentem ... Civitas adspiciat, sibique te datum putet, qui non modo ejus dignitatem ac splendorem docendi munere suscepto aliquando tueare, sed qui etiam, si qua in re tuae opis indigebit, artium pulcherrimarum, quas didicisti, praesidio subvenire ipsi atque opitulari possis. Hujus te magis communis utilitatis, quam propriae oblectationis causa in praeclarissimis ejusmodi studiis elaborare velim, et Archimedem illum imitari, qui non tam propter ingenii acumen, et subtilissime collectas Mathematicae doctrinae rationes, quam propter inventa ad patriae salutem ac defensionem sollertissime excogitata et laudem sibi dum vixit, et immortalem apud posteros gloriam comparavit.

Te interim peramanter complexus., Deum Optimum Maximum precor, Sanctissimamque ab omni labe intemeratam Virginem, quae Collegio huic nostro praesidet, cujus tutelae ac patrocinio res nostrae omnes commendatae ac traditae sunt, ut quae tibi hodie fausta et propitia auguramur, ad tui nominis decus perpetuum, ad nostri quoque ordinis, et communis patriae famam perennem ac dignitatem, plenissime omnia et cumulatissime velint concedere.

SERMO

HABITVS VIIII. K. NOV. A. MDCCLXXXVIIII

QVVM

IOAN. BAPTISTA CANTERZANVS

PHILOSOPHIAE LAVREA

DONARETVR

IOSEPHO BARALDIO SAC.

DOCTORI LYCEI MAGNI MVTINENSIS

ALTERI EX PRAEFECTIS

BIBLIOTHECAE ATESTINAE

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

Edidi nuper, Baraldi mi suavissime, atque optime, Sermonem, qui αὐτόγραφος apud me est, a viro eximio Cajetano Montio in principe Gymnasio nostro ante annos septuaginta habitum, quum is Sebastiano Canterzano maximae tum spei adolescenti, quam cumulatissime, uti nosti, explevit, Philosophiae lauream detulit, eumque Sermonem nuncupavi Ioanni Baptistae Magistrinio mathematico praestantissimo, mihique omni

officiorum genere conjunctissimo, a quo Ferdinandi Landii Marchionis, in Collegio Sophorum Italiae Sodalis ejus, lucubrationem omnibus plane numeris absolutam de Canterzani laudibus donum acceperam. At vero apud me quoque est αὐτόγραφος *Sermo alter ipsius Montii, quem is eodem loco, similique occasione multis post annis habuit Ioan. Baptistam Canterzanum Sebastiani filium ab ineunte aetate studiorum optimorum cultorem adsiduum, egregiumque, mihique pro veteri consuetudine, mutuaque inter nos benevolentia carissimum, Philosophiae item laurea exornaturus. Atque ego quidem et hunc Sermonem edendi consilium cepi; sed illud etiam cepi eumdem tibi nuncupandi; tibi, inquam, mi Baraldi, qui et plurimis, et acceptissimis me prope quotidie afficis cum tuorum, tum aliorum operum muneribus: novissime vero S. Gregorii Nazianzeni Tetrasticha veteris scholiastae interpretationibus subjectis abs te ex commentario Morcelliano in lucem*

prodita non solum dono dedisti, sed etiam (quae singularis tua erga me, ac prope incredibilis humanitas est) nuncupavisti. In eo autem Sermone totus est Montius, ut philosophis ethnicis christianos philosophos anteponendos ostendat, atque adeo sanctissimam, planeque divinam Christianorum religionem extollat, sine qua nec vera virtus esse, nec veram assequi felicitatem quisquam possit. Quod sane argumenti genus a tanto praesertim viro tractatum sic tibi pro summo tuo de religione, ac moribus, litterisque benemerendi studio probari debere arbitror, ut jucundissimum tibi futurum non dubitem, quod obsequentis, gratique animi ergo illum tibi nuncupem. Hac certe de re placeo ipse mihi, gaudeoque, ac prope exulto. Cujus quidem laetitiae meae caussas aperirem, nisi vererer, ne putaret quispiam aut consuetudini velle me potius, aut assentationi, quam veritati, obsecundare. Contineri tamen haud possum, quin et te alloquens illud aperiam,

quod coram omnibus, quotiescumque de te sermo incidit (incidit autem persaepe) affirmo, atque assevero, multiplicium me, doctissimorumque laborum tuorum constantiam in dies magis magisque admirari. Vale; ac Caelestinum Cavedonium Sacerdotem eruditissimum, eumdemque pietate, omnique virtute probatissimum, qui tanta cum laude tuis insistit vestigiis, meis verbis salvere jube. Iterum vale.

Bononiae Idib. Octobr. A. MDCCCXXVI.

Magnifica fuit quondam Ethnicorum Sapientum vox, et oratio, omnem Philosophiae summam ad beate vivendum referri, hujusque beatae vitae desiderio universam initio philosophandi rationem excogitatam fuisse, et inventam: artem vivendi Philosophiam esse, et animi medicinam, cujus praeceptis, ac monitis quicumque obtemperasset, sublata falsarum opinionum perversitate, sedatisque turbulentis animi motibus in pacatissima foret quiete, ac perpetua tranquillitate victurus. Ex quo quidem videatur eorum jure laudandum esse consilium, quos ajunt, ut rerum contemplationi libere vacare possent, partim omnem prorsus neglexisse elegantioris, et lautioris vitae cultum, partim divitias, quibus abundabant, quasi importunum onus, ac vitiorum irritamenta, in profundum abjecisse, partim sese, et corpora sua ad omnem laborum, ac molestiarum tolerantiam duriter firmasse, partim ab urbium frequentia, ac societate hominum abstractos, in remo-

tissimas solitudines se abdidisse; quorum nihil fuisset plane reprehendendum, si illud re vera assequuti essent, ut variarum perturbationum, errorumque procellis ante jactati, optatam denique securitatem, quasi portum, aut perfugium, tenere potuissent. Sed habebat tantae rei pollicitatio, si recte existimare volumus, plus gloriosae ostentationis, quam veritatis. Quid enim praesidii ad beatam vitam in disciplina ejusmodi esse poterat, quae neque Divinam Majestatem digne venerari, et colere docebat, neque homines de se ipsis, ut veritas postulat, demisse sentire, neque cupiditates ullas restinguere, nisi aliis suscitatis, et incensis, et in earum locum substitutis cupiditatibus?

Vix erat aliud, quod illius sapientiae magistri crebrius inculcarent, quam finem, extremum illud bonorum, quod non ob rem aliam, sed unice propter se, expetendum esset, diligenter initio, et accurate statui oportere; quo constituto, constituta esse omnia verissime ajebant; sed in re tanti momenti defi-

nienda, in qua humanae vitae recte instituendae cardo versabatur, quam misere fluctuaverint, praeclare illi demonstraverunt, qui, ut est ab Augustino (1) memoriae proditum, amplius octoginta et ducentas eorum sententias, alias aliis absurdiores, subductis rationibus, numeraverunt. Neque vero mirandum in tanta summi boni ignoratione versatos eos esse, qui de Divina praecellenti natura, ac suprema potestate tam abjecte sentirent, et loquerentur; quorum alii omnem religionis sensum radicitus evellebant ex animis, tales Deos fingentes, qui sua quadam sorte contenti, terrena haec, et humana negligerent, alii, quibus erat mens aliquanto minus depravata, sic mundum divina providentia administrari putabant, ut frugum quidem, ac fructuum ubertatem, et divitias, et prosperam valetudinem, et alia id generis externa bona a Deo petenda, et impetranda esse ducerent; virtutem, idest beatae vitae, ut ipsi rebantur, fundamentum, a no-

(1) De Civ. Dei lib. XIX,

bismetipsis esse praestandam, eâque nos, ut proprio nostro bono, jure gloriari posse fidenter praedicabant (1).

His tot tantisque erroribus imbuti, quamvis multa de justitia, de temperantia, de liberalitate, de magnitudine animi graviter splendideque dicerent, frustra tamen istiusmodi virtutes altius exaggerabant, non veras re ipsa virtutes, quae infuso divinitus vigore non animatae essent, sed inanes umbras, et simulacra virtutum, quae possessores earum neque meliores efficere poterant, neque beatiores. Nec vero illi ipsi meliores admodum facti sunt, a quibus praecepta ista sunt tradita; qui partim, cum maxime vitam suam cum oratione consentire vellent, occulto tamen arrogantiae vitio omnem solidae virtutis radicem corrumpebant, partim vix quidquam eorum faciebant, quae ostentabant, servientesque insanissimis cupiditatibus, suarum ipsi sententiarum robur, ac dignitatem vitae pravitate dissolvebant.

(1) V. Cic. de Nat. Deor. Lib. III. sub fin. Senec. Epist. XC.

Et quid aliud in tetra eorum temporum caligine, ac tenebris poterat accidere? Quanto melius actum cum illis, quanto illorum praestabilior sors, et conditio, quibus tum nasci datum fuit, cum eorum mentibus purissima lux affulgere potuit Evangelicae doctrinae; praesertim si tanto beneficio, ut decuit, sapienter usi, ad Divina illa praescripta, et monita vitam quoque suam, et mores conformaverunt! Equidem ex multis praeclarisque laudibus, quibus haec Civitas nostra non immerito gloriatur, vel maximi momenti eam esse arbitror, quod in tanta litteratorum doctorumque hominum, quos aluit, et longe plurimos edidit, multitudine, in tanto publice docentium, ac juventutem instituentium numero, exstitisse neminem accepimus, qui pravis infectus opinionibus de Religione, de Divinis testimoniis, praeceptis, ac legibus non rectissime semper, et castissime senserit; neminem, qui liberioris licentiae studio ad eorum, qui a sanctissimis Orthodoxae Ecclesiae institutis

defecerant, et aliis deficiendi auctores fuerant, nefaria castra transfugerit: ut hoc etiam nomine princeps Gymnasium nostrum jure celebretur, quod vel turbulentissimis temporibus, quum impiae haereses quasi laxatis froenis longe lateque per Europam excurrebant, integra tamen, et impolluta manserit fides ejus, ac disciplina. Et quoniam iisdem denique ex fontibus et sincera credendi ratio, et non fucata probitas, ac vitae integritas dimanat, non est mirandum tam multos et superiori, et nostra memoria apud nos fuisse vel extra eorum numerum, qui sacris erant ministeriis addicti, liberalium artium, ac disciplinae cujuslibet praeceptores, qui suis auditoribus non magis excellentis doctrinae lumen, quam bene moratae vitae quotidiana exempla praeferrent. Non est necesse hic alios commemorare, quam quos ipsi cognovimus, et vidimus, Manfredios, Bazzanos, Zanottos, Beccarios, Galeatios, Molinellos, et alios eorum non dissimiles; de quibus verissime affirmare possumus, quan-

tum exquisita earum rerum, quas profitebantur, scientia, et cognitione excellebant, tantum eosdem religionis studio, pietate, ac morum sanctimonia praestitisse. Non dubito, quin tantorum, et talium Virorum, plena alioquin gratissimi sensus, recordatio, auctoritatis eorum, sapientiae, doctrinae, caeterarum virtutum, quibus tantopere enituerunt, triste quoddam in animis nostris desiderium commoverit, ac moerorem quodammodo refricaverit, quo in acerbissimo eorum funere jam olim affecti fuimus. Sed quando res maxime superas, et a mortalibus oculis semotas noster initio complexus est sermo, ad levandum dolorem, si quis adhuc in nobis residet, una haec potissimum valeat consolatio, quod illi quidem, ut pie religioseque acta honestissimis in studiis vita merito confidere nos jubet, jam in Beatorum sedes recepti, sempiterno aevo fruuntur; id vero, quod in terris detrimenti eorum interitu est acceptum, et per claros, ac illustres Viros, qui de eorum numero supersunt,

multimodis compensatum videmus, et magna spes est, eventu aeque prospero in posterum tempus, Divino propitio Numine, posse sarciri. Mihi quidem ex multis neque obscuris, neque incertis indiciis satis firme persuasum est, in ista ipsa, quae nostrae aetati succrescit, florentissima juventutis sobole, aliquos non defore, utinam plures, qui et ingenii praestantia, et ardore animi ad studia, et imitatione exemplorum, quae plurima habent proposita, tales aliquando exsistant, quales vehementer optamus, qui collectam jamdiu a Majoribus Gymnasii nostri famam, ac celebritatem feliciter sustineant.

Fiduciae hujus nostrae argumentum una, et specimen praebeat egregius hic, qui nobis assidet, Candidatus; qui ad liberalium artium studia tot naturae, et industriae praesidiis instructus accessit, ut quanto honori, ac decori huic Civitati aliquando futurus sit, nemo non possit facile existimare. Et quid est, quod non de illo sperari, aut verius exspectari oporteat, qui talem ingenii,

ac virtutis indolem, qualem in eo elucere cernimus, naturae munere est adeptus, cui contigit, ut in ea domo nasceretur, quae religiosissimis formata institutis, et nobilissimis exculta disciplinis non alia illi documenta, nisi modestiae, temperantiae, frugalitatis, industriae, sedulitatis, diligentiae suppeditare posset; qui praeclarissimum exemplar habuit perpetuo ante oculos, quod imitaretur, Parentem suum, Virum, ut fama ubique personat, omni virtutis genere ornatum, Philosophiae uuiversae cognitione, et scientia eminentem, in Geometricis, et Analyticis perfectum, rerum, quae in celeberrima patriae nostrae Academia tractantur, et dicuntur, Custodem, et Scriptorem disertissimum, nobilissimorum hominum, ac Principum Civitatis gratia florentem, eumdemque sapientia, moderatione animi, morum integritate, et cultus Divini studio cum superioribus illis, de quibus paullo ante commemoravimus, Gymnasii nostri clarissimis luminibus comparandum. Hoc ille procreatus, etsi famae, et claritudi-

ni ab eo adeptae multum confidere poterat, ab eorum tamen sensu longissime abfuit, qui, otio ipsi diffluentes, paternis in meritis propriae inertiae tegumenta quaerenda esse ducunt; quin potius meritis paternis excitatus, omni sibi ope enitendum putavit, ne tanto Parente minus dignus haberetur. Longum esset referre, quantum ad hunc finem in politioribus Litteris, in Dialecticis, in Physicis, in variis Matheseos partibus operae posuerit, quanto studio, quanta alacritate, quanta etiam firmitate animi, ac perseverantia: longum pariter diurnas, nocturnasque ejus commentationes, assiduo labore elucubrata scripta, multiplices, ac diversas exercitationes, quibus est usus, singulatim recensere. Sunt haec omnia testata quam plurimis, et, vel me tacente, quavis commendatione dignissima. Quod si in iis disciplinis, quarum studia est adhuc persecutus, tantos eum progressus fecisse constat, quantos existimandum est tum facturum esse, cum ad caelestium orbium circuitus dimetiendos, ad side-

rum cursus, intervalla, magnitudines investigandas, ut est illi constitutum, praestantissimi ingenii aciem contulerit? Dicat nimirum is, qui id optime perspicit, et cujus praecipuum de hac re et proprium est judicium, Vir praeclara expolitus doctrina, ac liberalissimis artibus, de quibus est sermo, egregie instructus, Franciscus Sacchettus; quem ipse ejus Parens, suae olim disciplinae alumnum, dedit illi in Geometricis, et Astronomicis praeceptorem.

Nostrarum nunc partium illud est, inclusa haec adhuc in ejus animo ornamenta, ac decora, ut mos, et institutum Majorum postulat, externo etiam splendore patefacere, et celebrare.

Ad te igitur sermonem converto, Candidate; et quoniam, exacta jam ad septimum ac septuagesimum annum aetate, datum est mihi, quod vix fore sperassem, jucundissimum hunc satis diuturnae vitae fructum percipere, ut quae abhinc annos prope quatuor et triginta ornatissimo Parenti tuo detuli auctoritatis, et honoris insignia, in te etiam con-

ferre possim, quod tibi, tuisque, ac universae Civitati bene, ac feliciter vertat:

SVRGE . .

Et primum haec volumina tene... quae coram te statuo, scilicet fontes uberrimos, quibus sitientem doctrinae animum adhuc expiere consuevisti, et in posterum te expleturum confidis. Isti vero patent tibi, patebuntque toto vitae tuae tempore, quod felix tibi, ac diuturnum omnes optamus; qui si aperti nunc tibi... mox clausi traduntur..., fit propterea, ut intelligas et iis utendi, ac fruendi, et in alios, prout opportunum visum fuerit, derivandi amplam tibi deinceps, ac legitimam potestatem fore.

In his frontis... ac dexterae ornamentis... quae tibi amplissimi, ac sapientissimi Ordinis summo consensu decreta sunt, ingenuarum artium, ac disciplinarum, quibus optimus quisque excultum animum habere studet, et quarum perpetua tibi antehac fuit cura, tanto ut eas impensius diligas, pulcritudinem, ac dignitatem magis magisque

perspice, et admirare; nec vero aliis ea concedi fas est, nisi qui in perceptione rerum plurimarum, quibus illae artes continentur, quemadmodum abs te summa cum laude est factum, acerrimo studio, ac vehementi animi contentione elaboraverint. Est omnino insitum in nobis a Natura, scilicet a Naturae Auctore, tanquam stimulus quidam ad honestas, sed et simul difficiles, et arduas actiones suscipiendas, laudis, et communis approbationis desiderium. Non igitur illi supremi Numinis voluntati adversantur, quin potius altissimis providentiae consiliis obsecundant, qui laborioso in rectissimis studiis opere perfuncti, laudem, et publicas honoris significationes, et alia hujusmodi virtutis testimonia, modeste quaerunt; modo ne finem ultimum, ad quem referri omnia oporteat, in laude ipsa, in nominis claritate, in gloria constituant.

Peractae jam meae sunt partes, Candidate; obsecutus sum, ut decebat, voluntati Parentis tui, spectatissimi Viri, mihique et amplissimi hujus Col-

legii, et primariae in hac urbe Academiae sodalitate conjunctissimi; cui scilicet placuit, diu me, quod aetati, ac valetudini diffiderem, recusante, ut hodiernum tibi officium praestarem, quale jamdiu praestitissem nemini, neque cuiquam postea essem praestiturus. Abs te vicissim nunc peto, ut quotiescumque faustissimi hujus diei memineris, extremam, qua tecum utar, adhortationem in mentem revoces; scilicet quo amoris sensu nunc te amplector... eodem te velim toto vitae tempore Patriam tuam diligere, in ejusque dignitatem tuendam, et amplificandam curas tuas omnes impendere exemplo illustrium Virorum, de quibus saepe audisti. Eorum si tu animi firmitudinem, pietatem, religionem, virtutes alias imitabere, magna in spe esse debes, fore ut summo, et immortali Deo largiente, et juvante cum in hac mortali peregrinatione, quaecumque salutariter optaveris, prospera tibi omnia eveniant ac secunda, tum in ea, quae post hanc futura est vita, praemia te maneant sempiterna.

SERMO

HABITVS III. N. SEPT. A. MDCCLI.

QVVM

GABRIEL BRVNELLIVS SAC.

PHILOSOPHIAE LAVREA

DONARETVR

ANTONIO BERTOLONIO

PRAESIDI COLLEGII MEDICI CHIRVRGICI

DOCTORI BOTANICES

IN LYCEO MAGNO BONONIENSI

PHILIPPVS SCHIASSIVS.

Petiisti abs me haud ita pridem, Bertoloni praeclarissime, num quid forte evulgaverim, quod tibi nondum tradiderim: me idem rogasti, num quid essem proxime evulgaturus, idque, quidquid illud esset, tibi ut traderem, postulasti, ac prope jussisti; ea namque tua est in me humanitas, ut nugis delectari te meis ostendas. Facile autem credideris, quod

verissime tibi affirmavi, nihil omnino, quod tecum non communicaverim, esse abs me editum; neque enim unquam committo, ut nugis saltem meis (quî enim aliter possim?) praestabilia, ita vivam, et carissima dona tua non rependam. An vero quidpiam evulgaturus mox essem, id fassus me tibi sum, memet inquam ipsum nescire. Nunc vero quando ne ineptiarum quidem minimarum suppetit nihil de meo, ut ajunt, penu, venit in mentem longe aliud quam ineptias emittere, quemadmodum saepius praestiti, de penu alieno. Scilicet ex autographis, quos bene multos asservo, Cajetani Montii sermonibus ab eo tum habitis, quum vel philosophiae, vel medicinae laurea cives, exterosve decoraret, quorumque nonnullos, ut nosti, jam emisi, emittere nunc alium constitui, neque solum emittere, verum etiam tibi inscribere: id quod idem ipse sermo poscere quodammodo videatur. Mitto auctorem sibi esse Montium, cui tu in re herbaria publice tradenda meritissimo successisti; eo namque nomine cuncti essent tibi sermones inscriben-

di. Sed hunc Montius sermonem in Gabrielem Brunellium habuit ab se philosophiae laurea exornandum. Fuit autem hic plantarum exoticarum Horti Praefectus, illo nempe munere auctus, quo tanta cum nominis tui laude, ac discipulorum utilitate, Lyceique nostri splendore perfungeris. Iam quis Brunellius fuerit, paucis complectitur in sexto Commentariorum Instituti Marsiliani volumine vir summus Sebastianus Canterzanus; cujus quidem placet hic mihi verba describere, placebit credo et tibi legere: ,, Cajetano Montio, ait ille, qui naturalem historiam docebat, datus est socius Gabriel Brunellius, Ioannis, qui apud potentissimum Lusitanorum Regem mathematici munere fungebatur, frater. Gustaverat et ipse mathematica studia, in sacris vero profecerat valde, vehementerque humaniores litteras amabat; sed nihil tam colebat, quam botanicam, omnemque naturae historiam, in quas se denique totum abdidit. Quo minus mirandum, quod ei quinque post annis mortuo Bassio, qui publico plantarum exoticarum Horto prae-

erat, ejusdem Horti praefectura est delata. ,, Delata autem est anno septingentesimo septuagesimo quarto supra millesimum; eam porro gessit ad postrid. idus augustas anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi, quo ille decessit, duodecimo nimirum post die, quam decesserat Montius. Scripsit vero Brunellius, inque Sodalium, quos Benedictinos vocabant, conventibus recitavit sermones de re herbaria, deque naturali historia non paucos, quorum duo, alter de locustarum anatome, alter de reptilium organo auditus in eorum, quos dixi, commentariorum volumine ultimo in lucem sunt a Canterzano proditi. Sed et fratris ejus sermo ibidem est proditus de flumine Amazonum, ab eoque sunt item alii scripti sermones, et siquidem ipse a patria aberat, ejus nomine a Gabriele coram iisdem Sodalibus recitati. Apud virum clarissimum Ioan. Baptistam Magistrinium, cui Instituti Marsiliani acta post tantam rerum nostrarum conversionem ultimo cessere, sermo est unicus Gabrielis de charta, an, quove mo-

do, quamve feliciter e scrutis sericis, ex animantium plumis, e vesparum nidis confici possit, quandoquidem ex aranearum telis confici aliqua ratione posse antea compererat; quem sermonem pridie idus martias anno MDCCLXXXXIII *ab eo habitum Canterzanus, qui tum ab actis Instituti ejusdem erat, adnotavit. Vnicus item apud Magistrinium sermo est Ioannis, eodem forte anno, alio tamen die, habitus de quadratura spatii, quod a rectis duabus lineis, et curva qualibet continetur. Reliquos fratris utriusque sermones, quorum permagnus fuerit numerus, Vlyssiponem ad Ioannem ipsius jussu missos omnes certiorem me nudius tertius fecit Hieronymus Bianconius, Angeli, qui fuerat Gabrielis curator testamenti, filius, amicus meus, studiorumque meorum socius, vel potius adjutor. Quos habet sermones duos Magistrinius, legere si lubebit, non dubito, quin eorum cupienti sit ille tibi copiam facturus. Leges interea Montii de Gabriele Brunellio sermonem: quem quidem eo te animo accepturum confido, quo ipse ad te defero; nimirum ille ut*

sit verissimae, ac jucundissimae, quae inter nos non paucis abhinc annis intercedit, amicitiae, nisi arrogantis mihi sit dicere, mutuaeque benevolentiae pignus apud posteros. Vale.

Domi III. *id. iulias a.* MDCCCXXVII.

Quoties mecum ipse reputo ea, quae Philosophi veteres de rerum naturae, ejusque operum investigatione magnifice splendideque dixerunt, toties mihi videor in eorum praeceptis atque institutis majorem nescio quam firmitudinem, et cum se ipsis consensionem desiderare. Illi enim sic ajunt, sic persuadere nituntur: „ Animorum naturale quoddam quasi pabulum esse considerationem, contemplationemque naturae.„ Homines ex terra esse non ut incolas et habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque caelestium. „ Similem videri hominum vitam mercatus cujusdam amplissimi celebritati; ut enim illic liberalissimum sit, seposita lucri ac pecuniae cura, spectare nihil sibi acquirentem, sic in vita longe omnibus studiis

investigationem rerum cognitionemque praestare, animos nostros in corporibus quasi in obscuris domiciliis conclusos eniti omni ope debere, ut aliquando in apertum erumpant, et in naturae rerum contemplatione suavissime conquiescant. „ Haec inspicere, quae rerum universitas habet, haec discere, his incumbere non esse aliud, nisi transilire mortalitatem suam, et in meliorem sortem transcribi.„

Praeclare omnino quis dubitet? Sed tamen eosdem, qui haec disputant, rursus severe et graviter praecipientes audio.„ Meminisse hominem oportere, non sibi solum natum esse, sed patriae, sed civibus, sed suis, ut perexigua illi pars et vitae, et temporis relinquatur.„ Odio et reprehensione dignum id philosophiae genus esse, quod a rebus gerendis homines avocet, et cives quasi extra patriam collocet.„ Sic nos natos videri, ut inter omnes communio, et societas esset.„ Proxime et secundum Deum homines hominibus utiles esse posse et debere.„

Dissimulare non possum: commovet

animum non leviter tam discors, et quasi pugnans cum semetipsa oratio, et in sapientissimis hominibus, virtutis magistris, humanae vitae moderatoribus, constantiam propemodum requiro.

Sed inest tamen, nisi quid forte me fallit, in hac ipsa varietate ac discrepantia sententiarum certa quaedam, sibique plane constans ac definita ratio ad vitam rite et ordine instituendam accommodata. Non enim illi, ut opinor, ea studia tantopere commendabant, quod aequum esse ducerent, totos nos dies noctesque vel in dimetiendis astrorum cursibus, vel in persequendis animantium ac stirpium innumerabilibus generibus, vel in rerum occultarum origine, indole, causis, proprietatibus evolvendis ita occupari, nihil ut de communi utilitate, nihil ut de eis, quae ad societatem humani generis tuendam pertinent, cogitaremus; sed quod animos nostros veritatis studio incensos, rerumque pulcherrimarum cognitione imbutos, et ab vulgi erroribus, falsisque opinionibus vacuos, ad praestanda ea

quae patriae et civibus debentur officia, longe instructiores paratioresque existimarent fore.

Iam non quaero hinc naturae, illinc morum et civilium rerum scientiae ecquod naturale afferant vinculum, aut quomodo societate quadam jungantur inter se: iisdem certe ex fontibus admirabilem in utroque genere doctrinae copiam atque ubertatem video extitisse. Salomonem accepimus, mortalium omnium sapientissimum, non modo in instituendis informandisque ad virtutem hominum moribus infusam divinitus adhibuisse scientiam, sed etiam de universo naturae apparatu, de variis jumentorum, et volucrium, et piscium generibus, de omni stirpium multitudine ab excelsissimis arboribus ad humillimas usque et abjectissimas herbulas disputavisse. Quam multa Aristoteles de moribus, quam multa de officiis inter cives, quam multa de omni ratione regendae et gubernandae Reipublicae! Idem tamen naturae tam diligens investigator, vix ullam ut partem,

quam non mentis acie lustraverit, caelo, terra, mari, praeteriisse videatur. Quid Aristotelis auditor, ac discipulus Theophrastus? Praeclaris tot editis voluminibus de beata vita, de summo bono, de rei familiaris tuendae praeceptis, de variis diversarum gentium sive Graeciae, sive Barbariae, moribus, institutis, legibus, disciplinis, nonne idem ad naturae explicationem conversus, eam sibi partem assumpsit, quam forte praetermissam ab Aristotele invenerat! Nam cum ille animantium omnium ortum, indolem, victum, figuras in suis libris accuratissime expressisset, arborum ipse, et frugum, et herbarum, et rerum omnium, quae e terra gignuntur, originem, et formam, et vim, et proprietates tam secundo exitu est persequutus, ut cum reliqua opera eruditissimi viri ac elegantissimi inter Philosophos, sic enim existimabatur, vetustate obruta jamdiu interierint, id unum quod de plantis inscripserat, tot saeculorum discrimina et casus ad nostram usque aetatem integrum superaverit.

Non haec eo dico, quod existimem omnes, qui ad Rempublicam accedunt, aut aliter se utiles civibus suis praestare volunt, plurimum operae ac temporis in naturae arcanis perscrutandis debere consumere; quin etiam si multi sint, qui hoc faciant, minus ex communi utilitate id fore, lubens do atque concedo; sed illud plane non dubitanter affirmo, contineri his quoque studiis decenter excultis publici commodi rationem; et esse aliquem, qui subtilius haec omnia, et minutius rimetur, qui omnem animantium, et stirpium, et earum rerum, quae a terra fodiuntur, varietatem penitus notam ac perspectam sibi esse velit, qui hujus cognitionis cupidis dare se se ad docendum, qui controversias de his rebus ortas dirimere, qui percontantibus respondere possit, id ajo non solum esse utile, sed etiam necessarium in bene constituta civitate.

Quae cum res ita se habeat, idque plane omnibus notum esse oporteat, atque perspectum, quis est qui egregii

hujus viri propositum atque institutum non omni laude et commendatione dignissimum vere judicare possit? Liberaliter a puero institutus honestisque artibus ad humanitatem informatus, Philosophiae studio mature animum applicuit; mox ut ille, quem singularis quaedam et valde in religionem propensa vitae modestia atque integritas ad sacerdotium vocabat, omnem quoque divinarum rerum scientiam uberrimis ac purissimis ex fontibus studiosissime sibi comparavit. Deinceps fratris exemplo permotus clarissimi viri, quem Geometriae, et Astronomiae excellens cognitio maximo et potentissimo Regi sic commendavit, ut in alteram orbis terrarum partem, in Americam ultimam, ad constituendos ac terminandos amplissimarum regionum fines mitteretur, non eamdem sibi provinciam, nec tamen prorsus alienam, sed quodammodo proximam depoposcit. Vt enim ille Solis, et Lunae cursus, siderum intervalla et magnitudines, caelestium rerum omnium rationem et ordinem

exquisivit, non aliter ipse in Divini Artificis operibus, quibus telluris facies ornatur, notandis et perspiciendis occupari voluit; multum propterea temporis in variis stirpium generibus distinguendis, multum in earum proprietatibus investigandis, multum quoque operis et diligentiae in animantium ac fossilium, in totius denique naturae observatione collocavit. Quibus rite perfunctus omnibus, modo sollicitus est, ut praeclaras hujusmodi cognitiones liceat sibi communicare cum aliis et ad suorum civium rationes conferre; et haec nimirum causa est, cur hodierno die in amplissimi hujus loci celebritate iis se ornamentis decorari velit, sine quibus intelligit se se illud ipsum docendi munus tueri non posse. Quae quoniam exantlatis jam multis laboribus, sine fuco, sine fallaciis vere promeritus est, neque privatae ambitionis studio, sed utilitatis publicae causa expetenda esse duxit, dignus profecto est, qui totius civitatis cum approbatione et plausu consequatur.

SVRGE IGITVR...

Et accipe quae honestissimis anteactae tuae vitae studiis debentur praemia ... coronam capiti ... anulum digito ... praeclara honoris ac dignitatis insignia, quae te gestare decet, ut alios si qui forte tardiores sint, ad ejusdem laudis studium accendas... Liber clausus, et apertus inexhaustam doctrinae profunditatem, in qua percipienda, et in alios effundenda versari totam vitam te oportet, in memoriam revocet.... Hoc denique amplexu ut perenne in te discendi, ac proficiendi desiderium, sic etiam benevolentiae nostrae recordatio maneat sempiterna.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut quae tibi hodie precamur laudis et dignitatis incrementa, ad ejusdem, ac sanctissimae illius Genitricis honorem, ad perennem quoque tui nominis famam, ad communem civium utilitatem, et ad Collegii huius nostri immortale decus et ornamentum, fauste, prospere, feliciter obveniant.

SERMO

HABITVS III. K. MAIAS A. MDCCLXXV.

QVVM

IOS. THEODORICVS BORSIERIVS

TRIDENTINVS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE LAVREA

DONARETVR

ANTONIO MAZZETTO
CIVILI CRVCE OB MERITA HONORATO
ADLECTO INTER CONSILIARIOS AVLAE
IMP. CAES. FRANCISCI I. AVG.
REGIS INSVBRVM ET VENETORVM
PRAESIDI IVDICVM
LITIBVS PRIMA PROVOCATIONE DIRIMENDIS
APVD MEDIOLANENSES

PHILIPPVS SCHIASSIVS.

Accepi litteras tuas, Mazzette praeclarissime, quibus nihil mihi, ita vivam, esse potest honorificentius. Tu enim in iis abs me, tantus nempe vir a tantulo homine, id primum petis, ut quid de epistola sentiam, qua veterem C. Iulii Ingenui inscriptionem Tridentinam Ioannes

Labusius illustravit, tibi aperiam, meae quasi sententiae acquieturo; deinde postulas, ut ad te sermonem mittam, quem jam dudum in Lyceo nostro habui, quum adolescentes nonnullos cum cives, tum exteros, in quibus et Tridentini aliquot fuere, laurea juris decorarem: utrumque autem tanta humanitatis benevolentiaeque significatione requiris, ut nisi ipse qui sim, probe norim, gloriari insolenter, ac prope superbire possem. Ego vero de Labusii explanatione nihil jam cunctor, quin affirmem in ejus me opinionem, ubi epistolam legi, statim venisse; idque eo fidentius affirmo, quod et Franciscus Oriolius, et Clemens Cardinalius, quibus epistolae exemplaria abs te mihi donum data commodavi, ne se quidem haesitavisse cognoverim, quin idem mecum sentirent. Quanti autem faciendum utriusque judi-

cium sit, nihil me attinet dicere. Quare statim atque Labusium videris, eidem cum de ceteris ejus lucubrationibus, tum de nuperrima hacce, qua Ingenui inscriptionem est interpretatus, et Oriolii nomine, et Cardinalii, nedum meo, vehementer gratulaberis. At de sermone meo, quem velle te significas, quaeso mitte quaerere. Num ne oculis ego tuis rem prorsus nihili subjiciam? Proh superi! ut jejunus ille est sermo, ut incomptus! is uno verbo, quem omnino pudeat me fecisse. Tum qua de caussa illum quaeras dum considero, quod nempe laudes in eo contineri arbitreris Tridentinorum tuorum, de quorum fama es apprime studiosus, eum tibi prorsus inutilem video futurum, in quo nimirum etsi de Benedicto Giovanellio, et de Constantino Lorenzio incidit mentio, sic tamen incidit, ut eos vix nomi-

nem; de quibus quam fuissent multa, quam magna, quam vera dicenda! Ac Giovanellium quidem non modo luculentissimis, quas meretur, laudibus, si per tempus licuisset, propter ejus maximum perquirendorum veterum monumentorum, eorumque declarandorum studium, ac singularem in summo generis, et dignitatis splendore, multarumque opum copia tot vigiliis laboribusque adquisitam eruditionem; sed propter incredibilem etiam in me benignitatem, qua cum sua, tum et Lorenzii, quem dixi, et Franc. Vigilii Barbacovii opera, perpolita enimvero, praestantique industria, atque ingenio elaborata, mecum communicavit, grato memorique animo pluribus prosequi debuissem. Vtinam porro te potissimum, qui modo tanta me tibi officiorum necessitudine devinxisti, tuamque praesertim in

patriam caritatem extollere datum fuisset! quam non solum ex iis, quae Ioan. Baptista Bertius abs te accepta Ioan. Baptistae Borsierii civis tui scripta in lucem prodidit, cognoveram, sed ex litteris etiam tuis ad me datis confirmari intellexi. At enim vide, quid mihi in mentem venerit. Cum apud me sit praestantissimi viri Cajetani Montii αὐτόγραφος sermo annis ante amplius quinquaginta habitus, quum is Ios. Theodoricum Borsierium Ioan. Baptistae fratris filium Medicinae laurea donaret, in quo praeclara cum juvenis lectissimi, tum ejus patrui merita commemorantur, hunc ad te mittere constitui eo quidem opportunius, quod is nemini forte sit notus, numquam certe editus, cujusmodi videlicet et illi fuerant ejusdem Montii sermones persimili occasione habiti, quos ipse haud ita

pridem emittendos curavi, quorumque exemplaria cum his litteris accipies. Quos quidem cum legeris, facile mihi persuadeo eos valde tibi probatum iri; at placebit credo etiam magis sermo hic de Borsierio ob eximiam, qua exardescis, civium tuorum illustrandorum cupiditatem. Eumdem igitur minime dubito, quin tu sis aequi bonique facturus. Cura diligenter valetudinem tuam, meque velim in tuis habeas.

Bononiae v. *Kal. Sext. A.* MDCCCXXVII.

Praeclara sane et magnifica fuerunt praemia, quae olim medicorum principi Hippocrati Atheniensis populus detulisse dicitur, cum in frequentissimo conventu, ac festorum solemniumque dierum maxima celebritate auream coronam ejus capiti imposuit; liberis quoque non modo illius, sed omnium, qui communem cum eo patriam habebant, potestatem fecit, ut eodem jure ac si essent ex civibus nati, Athenis educarentur; ad extremum liberalissimo decreto sanxit, ut victus ei quotidianus in Prytaneo, qui honos ibi tum maximus habebatur, et viris duntaxat praeclare de Republica meritis tribui solebat, publice praeberetur. Ac mihi quidem haec omnia eo splendidiora fuisse, ac mirabiliora videntur, quod illud in mentem venit, quod tum accidit, cum an-

nis post multis in eodem Atheniensium Theatro summo oratori Demostheni, qui ad alia plura in Rempublicam merita urbis quoque muros sua pecunia refecerat, aurea pariter corona decerneretur. Subito enim auctoritate maxima et eloquentia aemulus illi et adversarius exortus est Aeschines, qui jure id factum negaret, eique, qui decreti faciundi auctor fuerat, diem diceret contra leges eum fecisse arguens, qui de ejusmodi praemio cuiquam deferendo tali loco et tempore ad populum retulisset; ac multa etiam de ipsius Demosthenis virtute, ac benevolentia in cives falso praedicasset, qui neque vir bonus esset, neque revera benemeritus de civitate: brevique tanta animorum contentione res agi coepta est, ut neque contumeliosas inimicorum voces in illo judicio effugere vir egregius potuerit, nec sine magna sollicitudine ac molestia oblati sibi honoris fructum percipere.

Atqui nihil simile factum accepimus, cum Hippocrates, et aliquot post annos Thessalus ejus filius ab eodem

populo tanto clarioribus ornamentis donarentur. Nemo tum sane fuisse dicitur, qui aut rei novitate offenderetur, aut qui peregrinitatem hominibus objiceret, aut modum certe aliquem honoribus adhibendum putaret: Ita nimirum ejus familiae in civitatem beneficia constabant, ut nulla invidia obrui, nullo partium studio deprimi, nulla malevolentia obscurari, aut dissimulari possent. Inhaerebat videlicet animis recens memoria illius temporis, cum, saevissima lue Athenis grassante, ad levamen tantae calamitatis arcessitus Hippocrates non solum innumerabilibus hominibus jam morbo infectis opem tulerat, sed modum etiam ostenderat, quo, late ignibus succensis, ingravescentis quotidie vis morbi cohiberetur: quin etiam in praecipua laude positum, quod artis praecepta, quae alii supprimere et quasi mysteriis obtegere solebant, ingenuo quodam animi candore monumentis ac litteris prodidisset, eoque facto non praesentem tantummodo civium multitudinem a periculo ac metu liberasset,

sed universae quoque posteritatis saluti et incolumitati consuluisset. Haec sane omnia potiora et longe ampliora, certe gratiora, visa sunt, quam, quod Demosthenes fecerat, labentis muri partem aliquam exaedificasse, aut gravioribus sese aliquando immiscuisse Reipublicae negotiis: qua quidem in re adversus multorum voluntatem plura eum dicere et facere, nonnullos etiam interdum damno aliquo illato lacessere necesse fuerat. Hippocrates, artis suae nixus praesidio, beneficus in omnes sine ullo cujusquam incommodo, aut detrimento esse potuit. Alterius itaque honoribus palam repugnatum est, alterius meritorum, quantumvis splendida, remuneratio sine obtrectatione fuit. Quo elucet magis praestantia Medicinae ac dignitas, cujus recta et prudens administratio stabilem et constantem ubique gratiam parit nulla offensione, nulla malevolentia infuscatam.

Equidem tibi gratulor vehementer, Candidate, qui ades, quod ex multis, et sane honestis, vitae institutis, quae

tibi propter liberalem indolem atque educationem patebant, id potissimum delegeris, quod et magno tibi honori esset, et a multis te et gravibus invidiae procellis removere posset: multo magis quod acerrimo studio in eo potissimum evigilasti, ut ex ipsa Medicinae exercitatione singularem doctrinae atque experientiae famam colligeres, ejusque rei commendatione omnium eorum, quibuscum victurus eras, favorem ac benevolentiam tibi conciliares. Incitabat te exemplum clarissimi et sapientissimi viri, elegantioris cujusque disciplinae ornamentis omnibus instructissimi, Patrui tui: qui cum Faventiae plures annos in Medicinae administratione summa cum laude versatus esset, Ticinum inde ad docendi munus evocatus, jam sextum annum universa Italia plaudente in antiquissimo illo Gymnasio primariam Medicae facultatis obtinet sedem. Vt igitur tanti viri arctissima propinquitate dignus haberere, posteaquam Tridenti, in patria tua, humanioribus litteris, deinde etiam philosophicis disciplinis inge-

nium natura docile ac promptum expoliveras et praeparaveras, ad Medicinae studium animum appulisti. Hic tibi duplex cum esset cura, ut et artis ipsius instituta ex optimis fontibus haurires, et usum atque exercitationem, scientissimis ac peritissimis ducibus adhibitis, tibi comparares, utrumque te longe lateque peregrinando assecuturum existimasti. Patavii primum Caldani et Scovoli, praecellentium doctrina et fama virorum, praeceptis biennii spatio eruditus, ad Patruum tuum, ejusque collegas lectissimos Moscatum, Rosam, Spallanzanum, Vitmannum, audiendos Ticinum contendisti. Versatus ibi tantumdem temporis, etsi te multum egregii praeceptores juvarunt, tamen vix dici potest, quantopere tute egeris, nullum ut eorum monitum et consilium irritum caderet, sed ut omnia firmiter animo comprehenderes, ac diurna pariter nocturnaque commentatione memoriae mandares. Tantum jam in Medicis studiis, tantum in Anatomicis, tantum in Botanicis, tantum in Chemicis profeceras, ut quili-

bet alius facile contentus esse posset, nec sibi quidquam amplius ad primi cursus rite confecti laudem praestandum existimaret: tibi istarum artium vehementissime cupido ac sitienti parum id omne visum est, nisi Augustam quoque Taurinorum adisses, ibique clarissimis et doctissimis viris audiendis florentissimae illius Academiae instituta, disciplinam, omnem denique studiorum rationem accurate diligenterque cognosceres. In hanc etiam urbem eodem desiderio incensus venisti: ac diutius quidem inter nos morari constitueras; sed graves nonnulli et inopinati casus, quominus id facere pro tua voluntate posses, obstiterunt. Neque eo tamen secius quanti hoc nostrum Gymnasium faceres, demonstrasti: quod spectatissimi Patrui exemplo permotus, tuorum progressuum nos judices esse voluisti, atque hinc potissimum adolescentiae tuae, summa cum laude in studiis honestissimis et liberalissimis peractae, testimonium certissimum in patriam referre. Quod igitur bene ac feliciter tibi vertat:

SVRGE . . .

Et codices accipe . . . clausos . . . et apertos: in his magni volumina Hippocratis, cui si ad cetera merita, propter quae amplissimos honores ac praemia est consequutus, illud quoque adscribi placuit, quod praeclara istiusmodi de Arte Medica scripta aeterno in posteritatem beneficio edidisset, nullus tibi esse poterit expeditior cursus ad laudem, quam si eorum doctrinam, nautici instar sideris loco, habeas perpetuo ante oculos, eique tanquam duci fidissimae adhaerescas, ne tanti operis ac momenti rem administrando, in turbulentissimis dubitationum, et incertarum opinionum fluctibus aliquando periclitere.

Sit tuae frontis interea decus laurea corona . . . annulus digiti: quae honoris insignia dum vetustissimo more in te confero . . . dum te amantissime complector, illud existimato, novum me industriae tuae curriculum proponere

non minus diuturnum ac laboriosum, quam quod hactenus confecisti, simulque te adhortari, ut in optima voluntate ac rectissimis studiis per totum vitae tempus constanter et fortiter perseveres.

Deo Optimo Maximo, sanctissimaeque a primo conceptu intemeratae Virgini preces effundo, ut quae tibi hodie fausta et propitia auguramur, ad Collegii hujus nostri ac Gymnasii famam longe lateque propagandam, ad tui quoque nominis decus tuendum, fortunasque tuas secundissimo cursu amplificandas, plenissime omnia suo tempore et cumulatissime eveniant.

SERMO

HABITVS XVII. KAL. IAN. ANNO MDCCLXXVIIII.

QVVM

IOSEPHVS ATTIVS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE LAVREA

DONARETVR

CAIETANO TERMANINIO

COOPTATO IN COLLEGIVM MEDICORVM
DOCTORI THEORICES CHIRVRGICAE
ET OBSTETRICIAE
IN LYCEO MAGNO BONONIENSI

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

Vix legeram, Termanini praestantissime, tuum de vita, et scriptis Iosephi Attii commentarium abs te mihi perhumaniter dono datum (quem quidem et cupidissime et maxima cum voluptate legi) quum praeclarum munus tuum meliori quo possem modo ut rependerem,

cogitavi sermonem ad te mittere a clarissimo viro Cajetano Montio habitum in Collegio Philosophorum, et Medicorum, quo die Attius ab eo publice est Doctor renunciatus. Nosti jam haud paucos apud me esse autographos sermones ejusmodi, quorum nonnullos doctissimis viris inscripsi. Quare inscribam hunc tibi, viro ita vivam doctissimo: at ei praeterea viro, ad quem credo sermo ipse, si de se loqui posset, mitti postularet. Is enim cum fuerit Attii caussa scriptus, cuinam acceptiorem se quam tibi, probatioremque futurum speret, qui de eo tam scite eleganterque scripsisti? Ad haec Montium habet auctorem, cui tu acceptissimus fuisti, probatissimusque. Demum ut nihil praeteream, cur is ad te potissimum mitti cupiat, tibi mittitur abs me, quem tu

summa semper benignitate, benevolentiaque excepisti: ut hoc etiam nomine, quod mihi quidem prae ceteris placet, benigne abs te, benevoleque se exceptum iri non dubitet. Itaque tam justae, tamque jucundae ejus voluntati quid jam est quod repugnem, ac moram injiciam? Hunc igitur habeto, qui ad te venire, tuumque suo quodam jure esse vult. Habeto quoque alios, quos me supra dixi doctissimis aliis viris inscripsisse; nam etsi ad eos primum venere, eorumque praesertim se esse laetantur, tamen et ad te venire, et tui etiam esse volunt. Ego vero tuus jampridem esse coepi, et tuum in posterum omne tempus fore, prae me fero. Cura ut valeas.

Domi Prid. Id. Octobr. A. MDCCCXXVII.

Praeclare olim ajebat Plato, salvas illas et incolumes, immo etiam florentes ac beatas fore Respublicas, quas qui moderarentur ac regerent, in praemiis atque honoribus decernendis rectum incorruptumque judicium adhiberent: neque vero hujus distributionis meliorem aliam, aut justiorem rationem excogitari posse, quam ut animi bonis, quae principem in hominis natura locum obtinent, praecipua quoque, et maxime expetenda ornamenta concederentur; quorum videlicet splendore illecti, liberaliter instituti atque educati cives labores ac molestias, quas diligentior animi cultus requirit, suscipere non dubitarent; rejectisque voluptariae ac desidiosae vitae blandimentis, imperium

ipsius animi, contra ac plerique mortalium perverso rerum delectu facere solent, corporis dominatu opprimi non sinerent: quae ubi crebro, et a multis, et constanter fierent, rationem inibi, et consilium, et concordiam, et tranquillitatem, et copias, et reliqua ad publicam felicitatem tuendam subsidia vigere ac dominari necesse esset; sic denique ab honoribus ac praemiis, quae animorum culturae largius tribuuntur, inter cetera bona Reipublicae etiam salutem securitatemque praestari.

Egregiam plane sententiam, ac summo Philosopho dignam, cujus vim cumprimis intellexisse arbitror, suisque institutis et moribus expressisse Majores nostros, quorum etsi vita temporibus illis est acta, cum bellica etiam virtute civitas floreret, vicinisque populis in ditionem redactis ad optimum statum obtinendum adjumentis plurimis afflueret, in liberalibus tamen disciplinis fovendis, atque honestandis ceteris gentibus incredibiliter praestiterunt. Fidenter ajo ex omni aetatum ac temporum

memoria, ex omni locorum ac regionum, quae quidem ad nos pervenerit notitia, civitatem inveneri nullam, quae rem litterariam tot legibus, decretis, juribus, immunitatibus sanxerit, et constituerit; quae litteratos ipsos homines tam splendidis insignibus ac titulis extulerit, tam effusis et conquisitis honoribus cumulaverit, tot etiam praemiis, si minus opimis ac magnificis, crebris certe, decentibus, optabilibus, et jucundis affecerit, ut possit cum hac nostra comparari.

Hoc laudis genere nobiscum profecto se non aequarunt, ut alias praeteream, ne illae quidem elegantiorum quarumcumque artium vel inventrices, vel receptrices Athenae, quae doctis hominibus propter imperii amplitudinem, ac reliquas loci opportunitates undique ad se commeantibus domicilium quidem ac sedem libentes praebebant, sed publica auctoritate nihil ad eos retinendos moliebantur, neque decedentium successioni providis consiliis prospiciebant, neque ut talium virorum perpetua de

semet ipsis soboles existeret, magnopere laborabant: non mirum ut esse debeat, quod quamvis praesidiis omnibus abundarent, ipsaque caeli temperies multum ad ingeniorum acumen ac docilitatem conferre existimaretur, a multis tamen jam saeculis una cum reliqua illius civitatis fortuna haec etiam doctrinae ac litterarum gloria defecerit.

Quanto haec melius et sapientius apud nos disposita atque provisa! Non fallebat, opinor, superiores illos, quorum ante meminimus, patriae nostrae praesides ac moderatores fatales quasdam conversiones, atque inclinationes temporum et saepe imminere, et semper esse metuendas civitatibus, validis praesertim ac bellicosis, quae una et opes earum frangerent, et imperii ac potentiae nomen extinguerent. Quamobrem nulla alia de re tantopere fuerunt solliciti, quam ut studiorum atque optimarum artium rationem universam rite constituerent, et in posteras aetates propagarent: qua nimirum et in pacatiori Reipublicae statu temperari ad

civilem lentitudinem animos hominum posse existimaverunt, et ipsi civitati non caducum et fragile, sed immortale ac aeternum decus conciliari.

Equidem ut soli nostri ac caeli felicitati aliquid concedendum putem, quae de Athenarum situ communis olim opinio fuit, alia tamen longe potiori ex caussa accidisse putaverim, ut patria haec nostra tam uberem supra ceteras gentes in quolibet disciplinarum genere doctissimorum hominum funderet copiam, utque studiorum ac bonarum artium parens ubique terrarum constanti fama praedicaretur; nimirum ex ea, quam supra laudavimus, Majorum providentia in praemiis honoribusque largiendis, quorum spes apte et in tempore proposita teneros ac flexibiles juventutis animos a desidia atque otio averteret, et ad honestissimae laudis studium perpetuis stimulis excitaret.

Nos igitur si perennem, si immortalem gloriam hanc patriae nostrae esse cupimus, ut certe cupere omnes ac velle debemus, eorum, qui tam prae-

claris exemplis nobis praeiverunt, vestigia persequamur: quosque adolescentes in liberalibus disciplinis perseveranti studio multum profecisse cognovimus, meritos iis tribuamus honores, adeptosque per virtutem gradus, ex quibus praemia etiam condigna suo tempore expectare possint, justis praeconiis in amplissimi theatri luce celebremus.

Est hic, quem videtis, florentissima aetate, optimo ingenio, modestissimis atque humanissimis moribus Candidatus, qui in doctrinae studiis, et elegantiori animi cultu ab extremis pueritiae temporibus perpetuam curam et operam impendit. Humanioribus litteris decenter eruditus Philosophiae institutioni diligentissime vacavit: totum deinde ad Medicinae studium se convertit, quam cum more apud omnes fere gentes recepto in duas quasi partes diductam cerneret, alteram quae ratione tantum et consilio quodlibet suum opus administret, alteram quae ad externas corporis noxas manus quoque adhibeat, et instrumenta, qui in-

genii simul acumine ac dexteritate manus valeret, in utraque sibi elaborandum putavit: exemplo clarissimorum nostrae civitatis virorum permotus, qui ambas simul complexi, egregiam sibi laudem et famam et in patria sua, et apud exteras gentes comparaverant.

Patebant illi unde hauriret fontes uberrimi ac limpidissimi, quorum ex affluentibus selectae doctrinae venis posteaquam sitientem animum explevit, eundemque praesidiis aliis ex Chemia ac Botanice desumptis largiter instruxit, triennale munus sibi depoposcit, ut in frequentissimo urbis valetudinario aegrotantium curationibus dies noctesque assideret. Interim probe gnarus, quanti ad Medicinae administrationem, inprimisque illius partis, quae manu ac instrumentis utitur, rite ac tuto praestandam intersit humani corporis fabricam penitus introspexisse, loci in quo degebat opportunitate usus, Anatomicis sectionibus diuturnam ac perdiligentem operam navavit: qua quidem ex re eum fructum percepit, ut in isto aetatis flo-

re celerrimos ac prope incredibiles in Chirurgicis faceret progressus, utque propriis manibus curationes maxime arduas ac difficiles pluries aggrederetur, et ad exitum feliciter perduceret, suffusionis eductionem ex oculo, novum et egregium aetatis nostrae inventum; calculi etiam evulsionem ex vesica: quod plenum, ut omnes norunt, discriminis opus, sic olim proprium censebatur certi artificum generis qui separatim in eo et unice elaborassent, ut vel ipse artis nostrae princeps Hippocrates, quamvis reliquae Chirurgiae peritissimus, nunquam se illud tentaturum, jurisjurandi religione interposita, asseveraverit.

Quod si honores, si tituli, si haec in conspectu posita ornamenta, ac dignitatis insignia in eos saepe conferri solent, quorum nondum opus ullum memorabile apparuit; tantum, quod domestica et umbratili exercitatione spem maturioris adipiscendae postmodum facultatis non inanem praebuerunt; quanto huic potiori jure debentur, qui quasi

miles bonus et impavidus in campum et in aciem pluries descendit, et qualis aliquando sit futurus, egregiis ac praesentibus factis significavit.

Quod igitur tibi, lectissime Candidate, bene ac feliciter vertat;

SVRGE.

Sit frontis tuae decus laurea corona, quae tanto studio, tanto consensu hujus Ordinis tibi decreta frondescat in dies magis, et immortalem tuo nomini spondeat viriditatem.

Sit annulus, quem dextera induit, vinculum illius fidei, qua tuis civibus hodie obstringeris; dum tu ad eorum salutem, et incolumitatem tuendam assiduam ac diligentem polliceris operam; illi vicissim, quae ad tuam dignitatem augendam pertinent, summa voluntate ac studio sese curaturos profitentur.

Libros vigiliarum tuarum ac lucubrationum testes, quos diurna pariter ac nocturna manu volutasti, apertos modo ... et clausos tibi trado. Tempus omnino aderit, quod non procul fore auguror et spero, cum istos doctrinae

ac sapientiae thesauros, quos nunc tibi quasi reconditos habes, poteris tamen et voles praeclara tui cum laude et patriae utilitate etiam in alios liberaliter effundere.

Extrema sit haec verissimae gratulationis plena orationis meae pars, qua te peramanter complexus,..ab immortali Deo, ac nostrorum Collegiorum patrona sanctissima Deipara Virgine, suppliciter precor, ut votis nostris communibus benigne et clementer indulgentes in omnibus tuis rebus toto vitae tuae tempore tibi adsint, ut praeclaris initiis prosperos ac secundos dent exitus, utque te ad eam, quam tibi omnes optamus, honoris, laudis, et fortunarum amplitudinem expedito ac celeri cursu feliciter perducant.

SERMO

HABITVS X. K. IVN. A. MDCCLXVIIII.

QVVM

IVL. CAESAR CINGARVS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE LAVREA

DONARETVR

HIERONYMO BIANCONIO

DOCTORI PHILOLOGO

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

Quum paucis ante diebus, Bianconi mi suavissime, una cum Philippo Sacchetto Canonico, Mariae Victoriae Fabriae nomine, abs me postulasti, ut inscriptionem pro sepulcro Ioannis Cingari mariti ejus non ita pridem vita functi exararem, cum multa de antiqua, atque illustri Cingarorum domo sum recordatus, tum potissimum ejus fratrem Iul. Caesarem medicum praestantissimum in memoriam revocavi,

nedum fratrem alterum Alfonsum Episcopum Calliensium, virum non doctrina solum, sacrisque editis operibus celeberrimum, verum etiam sanctimonia adeo insignem, ut minime mirum videatur, si de honoribus ei caelestibus rite decernendis agi aliquando possit. At Iul. Caesar prope ante oculos obversabatur, quem et de facie noveram, et de rebus anatomicis disputantem audiveram. Quam multa de tanto viro alia post alia, immo potius uno eodemque tempore mihi animo occurrerunt! Iam et pro ejus sepulcro inscriptionem exaraveram, quam statim placuit relegere. Sed cum subierit legisse me jampridem Sermonem Cajetani Montii, quem is in publico conventu Philosophorum, Medicorumque Collegiatorum habuit, quum Doctoris insignia in utraque disciplina optimo adolescenti contulit, placuit eum etiam Sermonem, quandoquidem autographum cum aliis multis ejusdem Montii in scriniis meis asservo, relegere. At dum relegerem, non modo summam capiebam voluptatem, quod Sermo ille

esset, ut Montii sunt omnia, elegantissimus, verum etiam tu, mi Bianconi, et carissimus filius tuus Angelus Michael (ne dubites, quin vere dicam) menti succurrebatis. Cum enim Montius in eo Sermone luculentissime ostenderit, quantum et a claris Candidati majoribus patria nostra anteactis aetatibus sit illustrata, et quanta spes esset fore ut a tam egregio juvene in posterum illustraretur, idipsum de te, deque tuis majoribus, ac de filio tuo affirmari adamussim et posse, et debere animadvertebam. Mitto de te dicere, quod minime patereris, ut tuas hic laudes quantumvis justissimas contexerem; neque vero esset necesse palam facere, quippe quod ex scriptis tuis editis satis superque pateat, quantopere in nummis veteribus colligendis, illustrandisque, atque in omnis antiquitatis scientia, bonarumque artium, artificumque insigniorum ad patriam nostram praesersertim spectantium eruditione excellas; ut jure meritoque fueris in Collegium Philologorum cooptatus. Neque vero

magis commemorare oportet, qui quantique majores tui fuerint. Quis enim nesciat qui quantusque fuerit Ioan. Baptista Bianconius patruus tuus magnus? quam scilicet in veterum linguarum, et numismatum graecorum, atque hebraeorum, et historiae patriae, ejusque monumentorum cognitione enituerit! Qui vero quantique fuerint patrui tui Ioan. Ludovicus, et Carolus, quis item est qui ignoret? Quorum primus de multiplici doctrinarum genere ea scripsit volumina, quae partim ab eo, partim a viris clarissimis post ejus mortem cum fuerint in lucem emissa, aeternam sunt illi apud posteros famam comparatura; alter vero quam de bonis artibus domi forisque cum praeceptis, tum vero etiam exemplis praeclare meruerit, et ejus picturae, typique gypsei, et aedificia ex ejus ingenio, praescriptoque exstructa, et eae testantur lucubrationes, quas non is modo, sed tute ipse, mi Bianconi, evulgavisti. Vtinam evulgare plures potuisses! Vtinam supremam ille manum scriptis suis imposuisset, neque tam multa aut

vix incohata, aut necdum perfecta, commentationes praecipue in Vitruvium, de quibus eum memini mecum etiam esse olim collòcutum, reliquisset! Verum ne de majoribus quidem tuis, nedum de te, uti ajebam, valde intererit verba facere. Interest enimvero, mihique jucundissimum est de optimo, certissimaeque spei juvene filio tuo dicere; qui domesticae laudis praestantiam quin sit cumulatissime adepturus, nihil dubito. Quam enim praeclare is tum Ferrariae, tum Mutinae, quo insignes e Societate Iesu praeceptores jussu tuo sequutus est, egregiae politiorum litterarum institutioni respondit! In patria vero quam diligenter philosophicis doctrinis adjunxit animum! nunc autem quo pectore ad medicinam incumbit! Haec porro una voce a multis intellexi: at illud inter cetera per me ipse novi, expertusque sum, et vehementer probo, quod in eo eluceat morum integritas summa, et religio singularis; animus vero candidus atque apertus, sine dolo, sine fuco, atque adeo nostra potissimum aetate ra-

rissimus. Quare tibi, mi Bianconi, gratulor etiam atque etiam, ac futurum spero, ut gratulari possim in dies magis. Eum salvere meis verbis jubebis, eique legendum trades hunc, quem ad te mitto, Sermonem Montii; tradas quoque velim, cum eum videris, Sacchetto nostro, quem etiam de inscriptione pro Cingari sepulcro jam exarata certiorem facies. Illam, quemadmodum inter nos convenisse memineris, ad eum quam primum mittam. Mittam praeterea (quid enim est, cur id tibi reticeam? cave tamen, ne Sacchètto aperias; rem quippe homini volo ex improviso accidere) ad eum, inquam, Sermonem mittam a Montio habitum, quum Franciscus pater ejus Philosophiae laurea publice donatus est. Patrem ego magnopere jamdiu colo, filiumque, ex quo nosse coepi, maxime diligo; utrique rem me gratam, Sermonem cum dederim, facturum censeo. Vale, mi Bianconi, meque ama.

Domi Idib. Aug. A. MDCCCXXVIIII.

Fuit olim apud Romanos in more et consuetudine positum, ut omnes, qui essent honesto loco et genere nati, Majorum suorum cereas imagines in aedium vestibulis, longo ordine dispositas, collocarent; ex quibus assidua, et grata eorum recordatio haberetur, qui vel in Republica gubernanda, vel in dilatandis imperii finibus, vel in re militari administranda, vel in civilis juris interpretatione, vel in dicendi vi ac facultate, vel in qualibet liberali arte aut disciplina quae tum ibi in honore esset, clari aliquando et memorabiles exstitissent: id quod illi non tam ad privatum cujusque familiae splendorem ac decus, quam ad communem utilitatem referebant; quod

Reipublicae quammaxime interesse arbitrarentur, praestantium virorum exempla cum aliis omnibus ad imitandum proposita exstare, tum iis praecipue, qui essent ejusdem generis et sanguinis, quos natura ipsa, atque educatio, ac disciplina domestica traheret ad eadem studia, qui ad dignitatem obtinendam, gratiamque suorum civium ineundam satis amplam expeditamque sibi viam patere intelligerent, modo ne a Majorum suorum moribus, atque institutis degenerasse existimarentur.

Ac revera saepissime accidit in illa tum principe orbis terrarum civitate, ut qua in stirpe laus aliqua florere coepisset, statim eam omnes, qui ex illa procreati essent, cupidissime appeterent, neve illa per se minueretur, aut detrimenti aliquid caperet, vehementer elaborarent; cui quidem rei testimonio esse possunt tot in illius gentis, ac populi monumentis celebrati Fabii, Valerii, Claudii, Ae-

milii, Decii, Metelli, Scipiones, qui clarissimis, ac vetustissimis familiis orti, avitae gloriae hereditatem non alia re magis, quam perpetuo Majorum imitandorum studio, tenuerunt.

Ac mihi quidem in nostrae hujus civitatis leges, instituta, consuetudines, ac mores intuenti non dissimilis cura elucere visa est semel a familiis quibusdam partae laudis in iisdem propagandae cum ex aliis studiis, tum praecipue ex iis, quae ad honestas illas ingenuasque artes pertinent, quibus jamdiu haec patria nostra, ut proprio suo ac peculiari bono, jure gloriatur. Ex hoc nimirum illud est, quod posteris eorum, qui in arte ejusmodi aliqua probati, et in superiorem ordinem adlecti essent, ad certos honoris gradus maturius obtinendos, expeditiorem facilioremque aditum leges nostrae aperuerint: non ut inertia, et meritorum vacuitas, quod falso quidam interpretantur, hereditaria quasi successione niteretur, sed ut ad

parem sibi cum Majoribus gloriam paribus meritis comparandam adolescentium animi vehementius inflammarentur. Est enim quaedam incitatio ad virtutem naturaliter innata bonis omnibus, quae imitationis studio accenditur; et eam quoque praemiorum spe oblata confirmare, et augere rectissimo consilio legum conditores solent. Neque vero id frustra institutum fuisse apud nos exempla eorum docent, quos ex iisdem familiis genitos simili laude per multas aetates floruisse accepimus: quo ex numero, ut in ceteris disciplinis excellentes viros praeteream, in hac ipsa, quam profitemur, medicinae scientia, et facultate egregiam sibi famam, aeternumque comparasse nomen clarissima illa artis lumina, Varignaneos, Zancarrios, Claudinos, aliosque longe plurimos et manentia adhuc eorum scripta, et annalium nostrorum monumenta loquuntur. Me vero non tam rerum ejusmodi vetustarum commemoratio, quam

praesentium adspectus, et ipsa quoque propediem futurarum spes atque exspectatio delectat.

In praeclarum hunc Adolescentem oculos juvat intendere, qui et naturae, et industriae firmissimis subsidiis fultus, sextus in sua familia medicinae studio sic dedit operam, ut gloriam a Majoribus acceptam magno cum foenore eorum memoriae redditurus esse videatur. Nam illi quidem in artis exercitatione diu feliciterque et in hac urbe, et alibi versati, hanc ei ad laudem viam satis tritam reliquerunt: ipse abundantis doctrinae proprio quodam splendore efficiet, quemadmodum speramus omnes, ut quorum nomina sensim fortasse obrueret vetustas, eorum in quotidianis ac frequentibus hominum sermonibus fama revirescat.

Celebrabuntur, opinor, propter ipsum duo illi fratres germani, quorum alter ejus abavus fuit, qui omnium primi in suam gentem, annos

centum abhinc fere et quinquaginta, medicae artis decus intulerunt. Memorabitur proavi frater, qui florentissima aetate in nostrum hunc Ordinem cooptatus, ac doctrinae laude praecellens, spectatissimum in his subselliis locum ad extremam fere senectutem occupavit. Ne de avi quidem fratre reticebitur, quanquam diversae regionis incola, et a nobis propemodum segregato: qui tamen apud Casalem, principem Montisferrati urbem, primarii Medici gradum ac munus egregie sustinuit. Occurret recens avi materni, ac multo recentior patris memoria, viri optimi atque humanissimi, quem nuper magno cum dolore amisimus, in quo artis administrandae singularis cura ac diligentia summa cum integritate, ac probitate certabat.

Quod si patriae nostrae verissimum decus fuit tot ex una familia in eadem ingenii facultate praestantes exstitisse viros, quibus omnibus in alio

disciplinae genere, patruus istius, vir universi juris peritissimus, et amplissimo praeditus sacerdotio, Eugubinus Antistes accesserit, quam propenso in egregium hunc Adolescentem animo omnes esse debemus, qui praeclaram operam in eo posuit, ut et Majores suos in semetipso exprimeret, et laudem eorum, pro humanarum rerum conditione, aliquantulum senescentem ab oblivione vindicaret?

Possem sane multa de illius ingenii acumine, de memoriae vi ac firmitate; de candidissimis ac temperatissimis moribus, de rectissimis studiis distincte copioseque dicere; possem commemorare, quantum in sermonis elegantia sibi adsciscenda impenderit curae, quantum in philosophicis ac mathematicis disciplinis percipiendis, quantum in arte ipsa, quam sibi praecipuo loco assumpserat, penitus et intime pernoscenda, cum aliis ei lectissimis praeceptoribus viam commonstrantibus, tum clarissimo in primis

et spectatissimo viro propinquo suo: possem ejus industriam, assiduitatem, perseverantiam in laboribus ac vigiliis sustinendis, in bonarum artium scriptoribus volutandis, in exercitationibus quibusque obeundis, justis ac debitis praeconiis extollere. Sed unum hoc cum verissima ejus laude praedicare libet, quod brevi admodum tempore et parente utroque, et patruo sui amantissimo orbatus, non tamen animum despondit, neque de pristina diligentia quidquam remisit; tantoque fortunae ictus vulnere spem suam omnem in optima constantique studiorum ratione, et in suorum civium benevolentia reponendam existimavit: quae spes ne eum fallat, magno est etiam a nobis opere providendum. En laudatissimis in artibus jam prope ad duo saecula propagatam stirpem ... En tot virorum illustrium progeniem . . . En talem indolem, ex qua singulare decus huic civitati aliquando accessurum merito possumus confidere.

Si esset aliquis pari genere natus, pari Majorum virtute et gloria, quem cetera deficerent omnia, qui tardo et hebeti ingenio, qui imbecilla memoria, qui enervata et languida industria nullam de se exspectationem commovere posset; qui improvido atque inutili delectu meliora adolescentiae tempora in otio, in ludis, in conviviis, in amatoriis levitatibus consumpsisset, tamen, ut opinor, multa paterno avitoque nomini concedenda esse arbitraremur; sane ego ut aliud nihil obtinerem, non esse prorsus destituendum, sed operam in eo dandam, ut ad bonam frugem revocaretur, utque non optimae naturae vitia ratione aliqua minui aut emendari possent, quasi pro meo jure contenderem. Hunc vero, cum tanto ingenio valere intelligam, quantum profecto non multis datum est, cum tales progressus in bonis artibus fecisse videam animi attentione, cura, vigilantia, sedulitate, diligentia, quales

ab istiusmodi aetate vix exspectandi esse videbantur, quid est quod dubitem recenti luctu nondum penitus levatum amori eum civium, ac fidei enixius commendare? in quo augendo et ornando non modo ejus propriae virtuti justa tribuantur praemia, sed et Majorum illius meritis, si forte quid debebatur, et non est persolutum, grato et memori animo liceat rependere: ego vero plane non dubito; cum praesertim justissimae commendationis auctorem habeam Ordinem sapientissimum, qui facto hodie gravi ejus doctrinae experimento, et peramplos ei decrevit honoris titulos, et clarissimis ornamentis dignum summo consensu judicavit. Quae quidem ejus virtutis, ac meritorum testificatio, quo minus publice rata sit, et in hujus frequentissimi conventus luce patefiat, mora sit nulla:

SVRGE.

Codices primum accipe clausos, et apertos, et in his magni illius Me-

dicorum principis volumina, cui non minus Asclepiadum disciplina a majoribus ejus ducta, et ipsi quasi per manus tradita, quam divini ingenii vis et facultas, perfectae ab eo absolutaeque artis nullo defecturam tempore laudem conciliavit. Cujus adolescenti filio si propter egregie navatam operam in publico theatro coronam detulit Atheniensium civitas, te quoque eadem molientem, et Majorum tuorum exempla sedulo imitantem, ex amplissimi Ordinis sententia atque auctoritate propria corona donabimus.

Sed et aureo annulo insignem faciemus, quo tuae doctrinae soliditas et veritas ab omni inani tumore, ac fucati coloris falsa specie alienissima significetur.

Denique si in tanta hujus diei celebritate ne privati quidem officii partes fas est praetermittere, mutuus hic amplexus paternae necessitudinis memoriam renovet, ejusque inter nos redintegratae vinculum maneat sempiternum.

Deum ego Optimum Maximum precor, sanctissimamque a primo conceptu intemeratam Virginem, quae nostris Collegiis praesidet, cujus tutelae ac patrocinio res nostrae omnes commendatae et traditae sunt, ut quae tibi hodie fausta et propitia auguramur, ad tuae stirpis dignitatem sustinendam, et communis patriae decus amplificandum suo tempore cumulatissime eveniant.

SERMO

HABITVS III. K. MAIAS A. MDCCLXXIIII

QVVM

FRANCISCVS SACCHETTVS

PHILOSOPHIAE LAVREA

DONARETVR

PHILIPPO SACCHETTO SAC.

DOCTORI IVRIS

CANONICO BASILICAE PETRONIANAE

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

De inscriptione, quam pro sepulcro Ioannis Cingari, desiderio non modo conjugis ejus, sed et tuo, et Hieronymi Bianconii obsequutus, paucis abhinc diebus exaravi, non dubito, quin te, Sacchette suavissime, Bianconius monuerit exaratam abs me jam esse; id enim te ut moneret, hominem rogavi; eam autem heri tradidi collegae tuo, eidemque optimo, dulcissimoque amico nostro, Ioan. Baptistae Mazzonio Canonico,

qui tibi redderet; atque ille quidem jam nunc fortasse, qua est omnibus in rebus diligentia, reddiderit. Bianconius porro tecum Sermonem procul dubio communicaverit, quem illi ego quodammodo inscripsi, a summo viro Cajetano Montio tum habitum, quum Ioannis frater Iul. Caesar Philosophiae, et Medicinae Doctor jampridem est publice renunciatus: ut enim tecum communicaret, auctor illi fui. At vero de Sermone alio, quem idem habuit Montius, quum Franciscum patrem tuum Philosophiae laurea exornavit, ne verbum quidem profecto fecerit; ne enim faceret, prohibui, quod velim, ut nihil de re neque tu, neque pater tuus praemoniti Sermonem accipiatis. Immo vide, quam mihi placeat vobiscum, ut ita dicam, ludere. Rem amicis non paucis antea manifestam, quam vobis, esse volui. Iam eam Bianconio, ut dixi, aperui; aperui Mazzonio, tum et viro reverendissimo Philippo Nicolio Praeposito Collegii Canonicorum Templi Metropolitani, et Aloisio Tagliavinio Ca-

nonico, et Petro Lazzaro Praefecto Caeremoniarum, et Cajetano Lollio Phonasco, et Magistro Musices Alumnorum Sacri Seminarii, animabus carissimis; sed priusquam aliis rem patefeci Ios. Maphaeo Schiassio fratris mei filio, qui adeo consilium probavit meum, ut Sermonem meis de manibus prope abripuerit, atque officinatori librario statim edendum consignaverit, sibique me promittere coegerit litteras quam citissime traditurum, quae Sermoni praeponerentur. Quidni ego et promitterem, et promissa facerem? Has propterea ipsas, quas legis, litteras scripsi, eique tradidi; ille de edendis omnibus sibi curam perlibenter sumpsit. Vix queo dicere, quam ipse mihi hac de re gaudeam, de qua et vos haud dubito gavisuros. Ecquid enim dubitem? Num ne dubitem, ne pater tuus, qua est modestia, summa scilicet, ac singulari, moleste ferat, quod a Montio in eo Sermone laudetur? Atqui longe minus, quam jam inde ab eo tempore meruerit, laudatur.

Nam quod primo illo aetatis flore in astrorum conversionibus dimetiendis, supputandisque motuum caelestium ephemeridibus celeberrimo viro Eustachio Zanotto Astronomo Instituti Bononiensis operam navaverit suam, Montius ne attigit quidem; Zanottus tamen jure meritoque testatus palam est. Montius vero tristissimas agri nostri inundationes ut pater tuus aliquando aquis publicis curandis praepositus coercere posset, voluisset; quod sane desiderium, ut probe intelligis, ejus et ingenio, et scientiae, et sedulitati magnae est commendationis. At ille Astronomiae deditus et Petronio Matteuccio Zanotti successori adjutor est datus, et Matteuccio successit; quod quidem munus adhuc sustineret, nisi ineunte saeculo in Lycei nostri instauratione a Cl. Viro Petro Moscato auctoritate, qua fungebatur, publica sibi oblatum, quippe aetate ac valetudine ad id oneris diutius ferendum minus se aptum putaret, abnuisset, atque ad juventutem geometricis potius, ac

mathematicis doctrinis instituendam, quod item sibi oblatum munus fuit, se laetus libensque praestitisset. Viderat ille nimirum, quod Montio maxime cordi erat, non defuturos, qui sive in curatione aquarum, sive in observatione rerum caelestium eminerent. Et vero satis fuerit Iosephum Venturolium, et Petrum Catureglium nominasse. Sed ut eo redeam, unde discessi, nihil omnino est, quod in legendo Montii Sermone patris tui modestia offendatur; neque vero offendi quidem potest, quod eum alii legant. Tu porro, mi Philippe, tantum abest ut verear, ne tibi displiceat, quod Sermonem sint lecturi quamplurimi, quin mihi persuadeo futurum, ut magnopere laeteris. Itaque sum nihil cunctatus, quin fratris mei filius, id quod uno animo statuimus, perficeret. Quare Sermonem ille typis jam cusum tibi reddet; tu, cum acceperis, reddes patri. Eum tu velim meis verbis etiam atque etiam salvere jubeas, rogesque, ut qua me benevolentia jamdudum excipere con-

suevit, eâdem in diem ultimum, quem viro rarissimi exempli, ac plane antiquae virtutis ad centesimum, et ultra annum ex animo auguror, prosequatur. Vale, meque ama.

Domi XVI. *K. Sept. A.* MDCCCXXVIII.

Nondum fratris mei filio has dederam litteras, cum occurrit mihi animadvertere nonnulla in hoc Sermone esse a Montio dicta, quae is alio in Sermone septem post annis intexuit, quum Petronium Collivam, summae exspectationis juvenem, Philosophiae laurea decoravit. Neminem equidem fore puto, qui eo nomine Montium reprehendat, ac subaccuset; quippe cui et peropportune ea iterare accidit, et rebus uti suis, quandocumque vellet, jus fuit. Te quidem certe, et patrem tuum haud crediderim esse litem ei quovis titulo intenturos. Valete iterum.

Quod vehementer optare, et expetere, et communibus votis precari omnes solemus, ut jamdiu parta et acquisita huic civitati ex litterarum studiis et liberalibus disciplinis claritas integra permaneat, et in futuras aetates non imminuta propagetur, neve ullo unquam tempore insitus ille in animis civium nostrorum doctrinae cujusque elegantioris assequendae ardor defervescat, id singulari divino beneficio, Moderatorum Reipublicae providentia, rara demum, et vix ullo exemplo cognita aliis in locis felicitate, tribui nobis et concedi, ejusque rei spem in dies majorem, certioremque nobis ostendi et aperte jam cer-

nimus, et merito ac jure ipsi nobis gratulamur. Enimvero si propter excellentes viros in genere aliquo amissos, aut ob ineluctabilem humanae vitae conditionem amittendos, anxio interdum ac sollicito animo sumus, ea nos protinus fiducia erigit et consolatur, quod egregiam videmus juventutis sobolem ad parem laudem acerrimo studio, et impetu animi contendentem acceptum, aut imminens damnum brevi reparaturam. Neque hoc in iis duntaxat artibus, ac disciplinis, quae propter inveteratum domicilium quodammodo indigenae, et nativo quasi ac vernaculo hujus terrae ac loci sensu inclusae videbantur; sed in illis etiam, quae serius invectae, et extrinsecus arcessitae non nimis firmas apud nos radices agere posse olim existimatae sunt. Fuit enim tempus illud, cum splendidiora quaeque ac feliciora nostrorum civium ingenia in Iurisprudentiam, in Medicinam, in Philosophiam, in Sacras Litteras conversa,

ad easque disciplinas percipiendas, ac penitus comprehendendas intenta, non multam neque assiduam in Geometricis et Mathematicis operam collocabant, quae ne in tanto et tam praeclaro scientiarum omnium instrumento et apparatu desiderarentur, eam curam adhibebant, qui civitatis administrationi vigilantissime praeerant, ut clarissimos quosque, et fama cum primis celebratos disciplinarum ejusmodi interpretes ac magistros praemiis et honoribus propositis in hanc urbem invitarent, quos et juventuti illis ipsis in artibus erudiendae praeficerent, et quorum excellenti doctrina ad Physicen, aliasque Philosophiae partes sustinendas uterentur, quas una fere cum mathematicis ac geometricis institutis genitas vix ulla ratione eorum praesidio orbatas stare posse intelligebant. Non enim sapientissimos ac peritissimos viros fugiebat, quod memoriae ac litteris fuerat proditum, Thaletem illum Milesium, qui prin-

ceps omnium philosophandi studium in Graecorum mores induxit, primum quoque ex ea gente astrorum magnitudines ac distantias metiri ausum, primum apte initis caelestium circuituum supputationibus Solis, et Lunae defectiones certo tempore futuras praedixisse. Pythagoram acceperant, a quo Philosophia Italica dicta manavit, ex numeris et Mathematicorum initiis doctrinam suam deduxisse omnem; eundemque tanta diligentia ac subtilitate Geometrica tractasse, ut propter singularia quaedam in eo genere novarum rerum inventa Musis immolavisse victimas, vere an falso quaerere nihil attinet, fuerit existimatus. Platonem deinde noverant, summum ipsum Geometram, tanti mathematicas institutiones fecisse, ut neminem ab iis non instructum scholam suam ingredi pateretur; vix satis idoneum reputans ad res altiores, et a sensibus abstractas perscrutandas, qui non ad eam cogitandi et commentandi rationem geo-

metrica exercitatione animum diligenter praeparasset. Aristotelem ipsum exemplis ex intima Geometria depromptis sua scripta refersisse sciebant, nec ullam celebratam fuisse veterum Philosophorum sectam, Epicureis et aliis quibusdam ignobilioribus exceptis, quae sese omnis plane mathematicae eruditionis expertem dici et haberi vellet. Postremo ut vetustissima illa negligerent ac praeterirent, eos certe, qui recenti memoria instaurare ac restituere obrutam diuturna plurium saeculorum barbarie philosophiam ingressi essent, Galileos dico, Cartesios, Gassendos, ceterosque eorum similes, non alia re magis quam mathematicis praesidiis munitos tantum opus suscepisse intelligebant. Quibus illi rationibus permoti, cum antiquissimi Gymnasii dignitatem omni ex parte sustinere vellent, civibus autem in alia fere studia propensioribus minus uti possent, eam ut dixi consilii rationem diu probaverunt, ut extraneos homines doctrina

excellentes, in eoque artium genere principes quasi in subsidium advocarent. Sed vicit tandem ut in aliis disciplinis comparandis, ita etiam in geometricis et mathematicis civium nostrorum sedulitas et industria; quas quidem sic avide arripuerunt, non modo ut nullius postea indigeremus externae opis, sed ut singulares in eo genere ac praestantes viros aliis etiam largiri possemus; neque minus exsplendescere visum fuerit eorum fama Gymnasium nostrum, quam cum inclytis illis Cavalerii, Montanarii, et Cassini nominibus honestabatur.

Verum de praesenti hac patriae nostrae felicitate non admodum nos laetari oporteret, si brevi desituram, aut etiam aliquando amittendam suspicio esset. Vnde autem certior ac liquidior spes fore diuturnam, atque adeo, si immortali Deo placuerit, perpetuam, quam ex flagrantissimo studio, quo ad artes ejusmodi excolendas florentissima aetate adolescentes jam

nunc animatos et incensos cognoscimus? Quem quidem in numerum quid est quod dubitem te adscribere, Candidate qui ades ornatissime, quem philosophicae primum, dein mathematicae disciplinae stadium cupidissimo animo ingressum, et in eo jam aliquot annos firmiter perseverantem mirificam exspectationem civibus tuis video commovisse. Nihil tibi sane a natura deerat, quo minus ad propositam metam et acriter contendere, et feliciter pervenire posses: non ingenium docile ac promptum, non singularis intelligentiae vis, non firma ad res perceptas custodiendas memoria, non optimus sensus, et ad vera a falsis discernenda exquisitum judicium desiderabatur. Sed periissent, opinor, ut in aliis plerisque tot naturae bona, nisi ad satis uberes ex iis fructus colligendos industriam, vigilantiam, studium, lectionem, commentationemque assiduam, quotidianam exercitationem, perpetuam denique et constantem pro-

ficiendi voluntatem adhibuisses. Merito igitur tuo illud assequutus es, ut doctissimi ac prudentissimi viri, quibus te in disciplinam tradideras, et quorum fidelissimis praeceptis ac monitis nitebare, praecipuo quodam amore te dilexerint, in suam familiaritatem et consuetudinem intimam receperint, eâque curâ complexi fuerint, ut de te novis honoribus ac titulis augendo quotidie cogitarent; quod quidem gravissimum, tibique cum primis gloriosum sapientissimorum hominum judicium, etiam amplissimus hic Coetus hodiernis suffragiis comprobandum existimavit. Igitur

SVRGE.

In his codicibus, quos vides, uberrimos doctrinae fontes non equidem nunc primum tibi aperio, qui jamdiu ex ipsis haurire, tuamque sitim explere consuevisti; sed eos tibi trado, tuaeque committo potestati, quos videli-

cet opportune possis aliis recludere, copioseque in eorum utilitatem et commodum derivare.

Amictu isto te insignem, laurea corona redimitum . . . annulo, et gemma praefulgentem . . . civitas adspiciat, sibique te datum putet, qui non modo ejus dignitatem ac splendorem munere docendi suscepto pro virili parte aliquando tueare, sed etiam qui tristissimis agri inundationibus, aliisque fatalibus detrimentis et incommodis artium tuarum praesidio subvenire possis. Hujus te magis communis utilitatis, quam propriae oblectationis caussa in praeclarissimis ejusmodi studiis elaborare velim, et Archimedem illum imitari, qui non tam propter ingenii acumen et subtilissime collectas mathematicae disciplinae rationes, quam propter inventa ad patriae salutem ac defensionem sollertissime excogitata, et laudem sibi dum vixit, et immortalem apud posteros gloriam comparavit.

Te interim peramanter complexus Deum Optimum Maximum precor, sanctissimamque ab omni labe intemeratam Virginem, quae nostris Collegiis praesidet, cujus tutelae ac patrocinio res nostrae omnes commendatae ac traditae sunt, ut quae tibi hodie fausta et propitia auguramur, ad tui nominis decus tuendum, ad nostri quoque Ordinis, et communis patriae famam ac dignitatem secundissimo eventu amplificandam, plenissime omnia et cumulatissime velint concedere.

SERMO

HABITVS VI. ID. IVN. A. MDCCLXXX

QVVM

CAIETANVS VINEA A FERRO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE LAVREA

DONARETVR

CAIETANO VINEA A FERRO

MEDICO CHIRVRGO

COOPTATO IN COLLEGIVM PHILOSOPHORVM

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

Sermonem Cajetani Montii, quem ille pro Francisco Sacchetto contexuit, recitavitque Philosophiae lauream Iuveni doctissimo conlaturus, legi nudius tertius Aloisio Tagliavinio Canonico amicum sciscitatus, quid sibi videretur de eo, quod ceperam, Sermonem edendi

consilio, quin et Sacchetto ipsi, et Philippo Canonico, filio ejus, nempe ut cum hominibus non modo praestantissimis, sed etiam suavissimis, quodammodo luderem, antea quidquam manifestavissem. Cum Tagliavinius consilium minime improbasset, venit mihi in mentem, quandoquidem alium pro laurea non Philosophiae modo, sed etiam Medicinae tibi collata Montii Sermonem in promptu habeo, quod cum Sacchetto facere constitueram, idipsum tecum facere. Rem Tagliavinio proposui, tum et Sermonem legi. Iamvero is cum Sermonem audivisset, consilium item hocce meum nedum non improbavit, laudavit immo, suasorque mihi fuit, uti, quoad citius fieri posset, exsequerer: sum igitur, ut vides, exsequutus. Quid tu porro hac de re? Minime id quidem ego ex te volo neque coram, neque per litteras cognoscere, sed ex Tagliavinio audire, cui tu animum apertius fortasse, quam mihi, patefacies, non quod te

simulate cum quovis quidquam unquam vel agere, vel loqui posse arbitrer, sed quod succurrat addubitare, ne tu pro tua in me benevolentia, si res tibi forte minus placuerit, id graveris mihi praesens praesenti aperire. Quamquam quid verear, ne id tu minus probes, quod Tagliavinius probavit? Scis enimvero et quanta praestet Tagliavinius prudentia, et quanti te faciat, et quantopere te diligat. Igitur nihil jam est, cur hac super re quidpiam addam, ac supervaneis te verbis detineam. Tibi potius gratulabor, quod patrem tuum, quemadmodum de te Montius quodammodo praenunciavit, sis cumulatissime omni virtutum genere aemulatus. Atque in re praesertim anatomica sic tu quidem mature praestitisti, ut minime dubitandum sit, quin si vetus apud nos studiorum ratio, cui aliae atque aliae in maxima rerum conversione brevi successere, mansisset, futurum fuisset, ut Prosectoris publici munus, quo ille tanta cum lau-

de, quoad vixit, functus est, tibi aliquando demandaretur. Sedenim in medicina facienda eam tibi peritiam comparavisti, qua pater tuus suos inter aequales inclaruit, sic ut et tu in probatissimis urbis nostrae Medicis adnumereris. Mitto quod in antiquum Collegium Philosophorum, cujus patri tuo aditus patuit, non tam legum auctoritate, quam optimo tuo merito fueris jam pridem cooptatus; quod quidem Collegium, cum aliquandiu ob temporum nostrorum vices extinctum fuerit, non multis vero ante annis quodammodo revixerit, tu in idem magna omnium approbatione quasi postliminii jure es receptus. De quo sane gaudere te oportuit, eoque magis, quod Collegam fueris nactus Tagliavinium; nescio enimvero, an gaudere potueris, quod me quoque fueris Collegam nactus: nisi si forte amor erga me tuus te fefellerit. At de me silere praestiterit, ne erubescam. Te nimirum praedicare juvat,

qui doctrina, usuque artis salutaris excellis quam qui maxime. Sed iis praeterea excellis virtutibus quibus excelluisse testatur Montius, patrem tuum, humanitate, inquam, et ingenuo quodam animi candore, quibus veteres illos mihi repraesentas clarissimos viros, quibus aetate superiori civitas nostra insigniter gloriata est; quos inter nonnisi eos ego nominabo, quorum sum ipse prope quotidiana usus consuetudine, Montium ipsum dico, Aloisium Galvanum, Petronium Matteuccium, Sebastianum Canterzanum. Possem equidem viventes adhuc recensere nonnullos; id quod perlibenter facerem, nisi verendum mihi esset, ne recensere singulos qui ingrederer, quempiam imprudens praeterirem. Praeterire tamen nefas sit, quos supra nominavi, Sacchettum, et Tagliavinium. Sed jam haud plura. Tu cum Tagliavinium conveneris, quae de hoc Montii Sermone, te inscio, abs me edito animi tui sensa fuerint, illi patefacies; ea ego ex

ipso, nisi fortasse tuomet ore mihi aperire malueris, intelligam. Vale, meque amare perge.

Domi VIII. *K. Sept. A.* MDCCCXXVIIII.

Fuit illud semper in more et consuetudine positum apud prudentiores quasque, et optimis institutis temperatas civitates, ut praestantes viros, qui in rectissimis atque honestissimis studiis ad Reipublicae utilitatem ac decus aetatem omnem traduxissent, non vivos tantum praemiis et honoribus meritis afficerent, sed memoriam etiam eorum post mortem colerent, quosque illi ex se natos virtutum suarum imitatores reliquissent, legitimo, ubi opus esset, tuerentur quasi patrocinio, et ad parem, aut etiam ampliorem gratiae ac dignitatis locum contendentibus auxilium et opem praestarent. Quae res non modo ad grati animi testificationem erga illos, qui ex

hac vita migraverant, pertinere est visa, sed etiam ad exemplum statuendum, quod illi in primis ante oculos haberent, qui in artibus suis, ac disciplinis consensu omnium probati filios bona indole praeditos suscepissent; quibus videlicet persuaderi magnopere intererat bene de suis civibus merendo non sibi unice sese, sed etiam liberorum suorum, totiusque suae progeniei utilitatibus ac rationibus prospicere. Enimvero cum maxima sit vis illius amoris, quem in parentum animis erga suam prolem inseruit natura, tanta nimirum, ut in re familiari conservanda, et augenda, in divitiis, et opibus, ac caeteris vitae praesidiis comparandis, felicitatem eorum commodis propriis atque opportunitatibus non dubitent plerique anteponere, nihil prudentius, aut consideratius a sapientibus illis viris, qui civitates, earumque jura constituerunt, excogitari potuit, quam ut innatum hunc et penitus insitum humanis in animis affectum in

communne bonum verterent, suaque instituta sic moderarentur vel in poenis irrogandis, vel multo etiam magis in praemiis decernendis, ut naturalis ipsa liberorum caritas meliores utilioresque cives Reipublicae redderet. Et recte omnino monebat Seneca, probos, inque suis officiis perdiligentes viros ibi maxime futuros, ubi compertum exploratumque esset, eorum, qui ad patriae decus et ornamentum studia sua ac labores contulissent, non simul cum vita gratiam extinctum iri, sed futuram superstitem cineri, ac tumulo, et peramplum quasi patrimonium ad filios ad nepotes ad posteros, modo ne quid per eos obstitisset, perventuram.

Ac mihi quidem in civitatis, atque adeo in Coetus hujus nostri instituta mores et consuetudines intuenti non dissimilis cura elucere est visa, merita eorum, qui in liberalibus disciplinis profitendis excelluissent, non in ipsis duntaxat, sed etiam in filiis, et posteris eorum grato animo remu-

nerandi: quibus nimirum simile industriae cursum cum laudem obeuntibus ad certos dignitatis gradus hereditaria quasi successione maturius assequendos faciliorem expeditioremque aditum leges nostrae aperuerunt. Quamquam in eo etiam sapienter provisum, ut spe ejusmodi propinqui honoris facta, qui se ex doctis et claris viris natos meminissent, ad parem sibi gloriam paribus meritis comparandam acrius ac vehementius inflammarentur. Non enim verisimile videri potuit futurum aliquem ingenue ac liberaliter educatum adolescentem, qui legis beneficio sic otiose uti vellet, ut non etiam idoneis disciplinis et artibus ad paratum sibi locum cum dignitate obtinendum diligenter se instrueret, ac in eo, ut progenitorum suorum famae, et expectationi hominum responderet, non vehementer sibi, constanterque enitendum putaret.

Vt superiora exempla praeteream, quae ex antiqua pariter ac recenti me-

moria clara admodum proferre possem, eorum qui acri studio, et contentione animi adhibita parem cum suis Majoribus, quibus successerant, laudem, aut etiam ampliorem sunt adepti, de te, Candidate lectissime, qui ades, quid est quod non liceat mihi verissime praedicare, qui patre ortus spectatissimo et optimo viro, Collega nostro, tantum jam ista aetate adolescens in optima studiorum ratione elaborasti, tantum adhuc profecisti, ut nihil abs te praetermissum appareat industriae, sedulitatis, diligentiae, quo minus honoribus ac titulis, quorum in spem natus eras, dignus existimarere.

Sed mihi hoc loco, cum in clarissimi parentis tui mentionem inciderim, quis non concedat, idque amicitiae, quae mihi cum eo fuit prope ab incunabulis jucundissima, non tribuendum putet, ut facta meritorum ejus grata quadam commemoratione, quod ille nobis omnibus, ac mihi in primis sui reliquit desiderium, aliqua ex par-

te lenire studeam? Fuit ille natus antiquo et honestissimo genere, deditusque a pueritia litterarum studiis, in contubernio et convictu aequalium sui adolescentium quinquennio est versatus; quo quidem tempore cum praeclari viri, et immortali memoria digni Iacobi Bartholomaei Beccarii institutione uteretur, essemque una et ipse ejusdem alumnus disciplinae, arctissima mihi cum eo familiaritas, et necessitudo est juncta. Accessit novum crebrioris consuetudinis vinculum, posteaquam transacto artis medicae tirocinio, quod ille in frequenti admodum Valetudinario habuerat, et legitimis honoris insignibus modico intervallo ab utroque nostrum susceptis, in amplissimi hujus Coetus numerum una cooptatione ambo simul adlecti sumus. Nunquam ille se ab iis studiis alienum ostenderat, quibus et jam tum magnopere delectabar, et in quibus, ut aetatem deinde totam exigerem, multae et graves causae exstiterunt. Sed maxima illi, et praeci-

pua fuit rerum anatomicarum cura; quarum usu atque exercitatione tantum valuit, ut publici Prosectoris munus, clarissimorum antea virorum, et Valsalvae in primis doctrina, atque auctoritate nobilitatum, non alii quam ipsi demandandum esse sapientissimi civitatis nostrae Moderatores judicaverint; sustinuitque, et implevit eas partes egregia cum laude, quoad vixit, in Medicinae, et Chirurgices administratione sic eodem tempore probatus, ut magno civium cujusque ordinis numero, qui valetudinem ei suam credere consueverant, non scientia duntaxat, et usu artis satisfaceret, sed humanitate etiam, et ingenuo quodam animi candore merito carissimus, et jucundissimus haberetur; quorum neminem esse nunc arbitror, qui extincti virtutes adhuc secum non recolat, ejusque memoriam amicissimo et gratissimo animo non prosequatur.

Nunc ad te vicissim redeo, Candidate, cujus satis laudare non pos-

sum talis viri, a quo es genitus, tam aperte abs te significatum imitandi studium. Amiseras eum fato sublatum prope inopinato, posteaquam politioris Humanitatis ac Philosophiae praeceptis decenter instructus, Medicinae institutis operam navare coeperas. Tanto ictus fortunae vulnere, tam gravi moerore affectus, non tamen animum demisisti, sed eo ad studia acrius incumbendum existimans, spem tuam praecipuam in amantissimi Praeceptoris (a) cura, et benevolentia collocasti. Ecquis enim alius in parentis, quo repente orbatus fueras, locum aptius poterat succedere, quam is, cui parens ipse non multo ante quam ex hac vita decederet, quasi proximum suum exitum praesagiret, diligentissime commendaverat, cujus spectatae prudentiae, doctrinae, fidei, integritati, studiorum tuorum ac progressuum rationem omnem commiserat? Quam

(a) Cajetanus Yttinius.

provido consilio res postea, et eventus declaravit! Tali enim duce ac monitore usus immensos Medicinae campos maximo cum fructu peragrasti, ut nihil abs te in pathologicis, nihil in therapeuticis, nihil in ceteris partibus omissum fuerit, quod non avide ac celeriter arriperes, quod non fideliter custodiendum memoriae mandares. His Anatomes exquisitior cognitio est addita, clarissimo viro, qui patri tuo successerat (a), facem tibi praeferente, his Chymices quoque, et Botanices exercitationes accesserunt. Quibus in rebus omnibus etsi docilis, quam nactus eras, ingenii indoles plurimum te adjuvit, non minores tamen partes sedulitas ac diligentia sibi vindicavit. Nulla enim tibi unquam potior fuit cura, quam ut ea, quae docentium ex ore excipiebas, quotidiana commentatione menti tuae altius imprimeres, ac ne ullo unquam tempore elabi

(a) Carolus Mondinius.

possent, operam dares; id quod omnes intelligunt sine multo labore, sine acri ac perseveranti studio effici non potuisse.

Atque haec florentis tuae fuerunt opera aetatis, haec in bonas artes initia meritorum, talis exspectatio, quam de te optimam satis mature praebuisti. Nulla igitur sit mora, quin praemia accipias, quae tuae virtuti debentur: ornamenta scilicet amplissimae dignitatis gravissimo sapientissimorum Patrum judicio tibi decreta: quibus ut inter tuos aequales nunc eminere incipis, sic magna spes est fore aliquando, ut inter doctos homines, ac tui Ordinis cives clarius explendescas.

SVRGE.

Et quoniam sine multarum rerum cognitione et scientia, quae novae et inexpectatae in dies emergunt, certam utilemque medendi rationem tenere nemo potest, tu autem vulgari exercita-

tione non contentus, altiora quaedam et tuo genere digna spectas, et animo agitas, noli diffidere; id quod maxime expetis, quodque ex quotidiano usu tibi esse possit, in his quae clausa . . . mox aperta . . . tibi trado, aliisque artis nostrae venerandis voluminibus invenies.

Sit frons tua lauru redimita . . . annulo fulgeat dextera . . . ut ex immutabili gemmae splendore, ex perenni frondis viriditate intelligas artes honestissimas, quibus te dicasti, si in earum cultu diligenter perseveraveris, aeternum tibi decus, immortalemque laudem esse parituras.

Manus tibi interim porrigo . . . sed non eo animi sensu, quo illis consuevi, quibus post absolutum in hac urbe studiorum suorum cursum, post adeptos celeberrimo hoc in loco legitimi honoris gradus ad patrias sedes redeuntibus extremum hoc genus officii, ultimum eos visurus, persolvo. Te ut amantissime amplexer . . . mo-

vet in primis desiderium, quo efferor diem illum videndi, quo die in Ordinem nostrum recepto ornatissima isthaec tibi pateant subsellia, in quibus me olim memini cum suavissimo Parente tuo primum consedisse.

Deum ego Optimum Maximum precor, sanctissimamque sine labe conceptam Virginem, quae nostris Collegiis praesidet, cujus tutelae et patrocinio res nostrae omnes commendatae, et traditae sunt, ut quae tibi hodie fausta et propitia communibus votis optamus, ad tuae stirpis dignitatem sustinendam, et patriae decus amplificandum, plenissime omnia suo tempore, et cumulatissime eveniant.

SERMO

HABITVS XII. KAL. IVL. A. MDCCLXXX.

QVVM

PAVLLVS VERRATVS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE LAVREA

DONARETVR

PAVLLO VERRATO

DOCTORI EMERITO PHYSICES

COOPTATO IN COLLEGIVM MEDICORVM

SODALI BENEDICTINO ACADEMIAE SCIENTIARVM

INSTITVTI BONONIENSIS

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

De vitreis quibusdam sphaeris, quae si in terram projiciantur, non solum magno dissiliunt fragore, sed vividam etiam emittunt lucem, Sermonem haud paucos ante menses, uti scis, Verrate praestantissime, in Sodalium nostrorum privato conventu habui, cui te memini interfuisse, et quidem lateri meo assedisse. Quam vellem, eumdem iterum quum nudius tertius in conventu publico habuerim, praesentem item adesse per valetudinem tibi licuisset! Fateor enimvero quum legendo ad eum locum

venissem, in quo de te, quippe experimentorum meorum socio, mentionem feci, commotum esse me non mediocriter; quumque domum ab ea celebritate rediissem, cogitationem abs te, nescio quomodo, non potuisse me abducere, Patremque tuum, quem et publice, et privatim physicen tradentem audivi, et celeberrimam Matrem animo occurrisse; tum illum praecipue diem in mentem venisse, quo tibi philosophiae, et medicinae lauream vir summus, atque in aevum memorandus Cajetanus Montius de more veteri contulit, Sermonemque de tuis, tuorumque omnium laudibus maxima facundia, elegantiaque recitavit. Hunc porro Sermonem quando cum aliis Montii bene multis autographum asservo, e scriniis meis eduxi, relegi (legeram enim alias, nedum ab ipso auctoris ore audiveram) sum iterum admiratus; quid plura? eum statui ad te mittere, nonnisi gratissimam me tibi rem, ut arbitror, facturus. Quod igitur statui, id sine mora exsequor. Non dubito, quin eum sis lecturus continuo;

at illud etiam pro certo habeo te inter legendum subsistere identidem coactum iri, neque a lacrimis fortasse tibi temperaturum; vix enim, aut ne vix quidem temperare potui ipse mihi. Cum enim, ut cetera mittam, in commemorationem incidissem fratris tui Ioannis, qui non modo inter Canonicos Basilicae Petronianae, atque inter Doctores Theologos Collegiatos adlectus fuit, sed Collegio etiam Alumnorum Montealtensium, quoadusque illud mansit, egregie praefuit, succurrerunt mihi quae florentis aetatis meae studia fuerunt, quae consuetudines, quorum quantorumque virorum praeceptis institutisque sum usus, ac Iosephi Voglii in primis, quem in eo Collegio philosophiae magistrum habui, tum ejusdem Collegii Alumnorum, atque adeo Condiscipulorum meorum, atque illius praesertim gratissima ac perhonorifica recordatio subiit, qui ceterorum et ingenio, et diligentia, et publicis experimentis facile primus habebatur, cujus quoque condiscipulatu in theologicis studiis Ioan. Baptista Dallocca doctore gloriari

me posse gaudeo, illius, inquam, Alumni, qui jam inde a prima adolescentia ad magna quaeque natum sese praemonstrabat, maximisque dignitatibus, ac splendidissimis honoribus, immo vero summo sacro principatu, ad quem totius orbis christiani bono evectum suspicimus, dignissimum fore pollicebatur. Ista vero commemorare quomodo possim, quin commoveri me sentiam vehementer? At tibi Montii Sermonem legenti aliae quoque caussae, quare vehementer commovearis, quae tua est in tuos pietas, accesserint: sed tamen commoveberis non tam vehementer, quam perjucunde. Hunc igitur Sermonem statim habeto; eumque cum legeris, legendum item tradas rogo Francisco filio tuo, qui cum in medicina administranda, tum morum integritate, religione, omnique virtute et paternam, et avitam laudem cumulatissime aemulatur. Eum velim meo nomine salvere jubeas. Cura diligenter valetudinem tuam, meque in tuis habere perge.

Domi VI. id. Iulias A. MDCCCXXX.

Si ex me fortasse aliquis sciscitetur, quaenam fundamenta illa praecipua esse arbitrer, quae ab eo poni, ac rite constabiliri oporteat, qui certam sibi tutamque Medicinae perdiscendae, ac deinde etiam cum laude administrandae rationem comparare studeat, respondere non dubitaverim Philosophiam universam, ac eam partem in primis, quae in naturae, ejusque legum, et causarum contemplatione versatur, principem in ea re locum sibi propemodum vindicare. Quamvis enim non inficier Anatomes cognitioni mederdi artem propius esse innixam, vix

tamen ambigi posse censeo, quin naturae universae investigatio, quam Physicen appellamus, studium ipsum Anatomes debeat antecedere: eam nimirum ob causam, quod humanum corpus, praeter ea quae habet sui propria vel in structura partium, vel in earum muneribus et officiis, quorum indagatio anatomici est operis, iisdem tamen legibus, quibus cetera corpora, et ipsum movetur ac regitur, affectionesque habet longe multas cum ipsis communes: quin illa ipsa vitalis actio et vis, qua ab inanimis distinguitur, quaecumque ea tandem sit, hac ipsa tamen rerum corporearum, et aspectabilium universitate involvitur quodammodo, et continetur. Ex quo fit, ut qui verum naturae ordinem recte noverit, quem illa non lateant, quae de solidis, fluidis, gravibus, elasticis, sonoris, lucidis, in aequilibrio positis, aut ab eo recedentibus Physici ac Mechanici disputant, et oculis subjiciunt; qui aeris, ignis, electrici vaporis ac-

tionem in corpora omnia recte teneat, is cum ad Anatomes, tum ad Medicinae ipsius intelligentiam, et administrationem paratissimus sit futurus: qui vero ejusmodi cognitionum expers, perfectam tamen Medicinae scientiam sese assecuturum confidat, comparandum cum eo existimarem, qui in animum sibi induceret sublimem aliquam molem et excelsam soli superficiei non factis antea idoneis substructionibus inaedificare; quae si labaret continuo et corrueret, nemo sanus miraretur, cum illud potius, si aliquo tempore stare posset, mirabile deberet videri.

Quis igitur miretur vel ab ultima temporum memoria tantam Physices cum Medicina consensionem fuisse, tam arctum inter utramque intercessisse vinculum, ut ipsa medendi scientia sapientiae, idest Philosophiae, pars olim sit habita, morborumque curatio et naturae investigatio, quemadmodum Celsus Cornelius loquitur, sub iisdem auctoribus nata fuisse existimetur? Quin

multi ex vetustissimis illis sapientiae professoribus Medicinae quoque insigniter periti celebrantur: Pythagoras, Democritus, et ille in primis Siculus Empedocles, qui egregie versatus in Physicis, tantum etiam in medendi arte valuit, ut mulierem, quae, intercluso diu spiritu, tanquam exstincta efferebatur, idoneis auxiliis restituerit, et quasi a morte ad vitam revocaverit; cui rei simile quiddam aliquot post saeculis naturalium etiam causarum eximia cognitione fretus summus Medicus Asclepiades dicitur praestitisse: quae duo illustria exempla hoc mihi loco commemorare libuit, quod ea nuper variis in regionibus ad beneficium humani generis latae sanctissimae leges, simulque doctorum hominum eruditissima scripta meritis laudibus celebraverunt.

Quid quod vel temporibus illis, quibus, fatali quadam rerum conversione, neglecta et prostrata ubique conciderant, ac prope ad occasum rue-

bant bonarum artium studia, tenues illae tamen, quae supererant, Physices reliquiae ita sunt visae cum Medicina cohaerescere, ut non alio, quam Physicorum nomine, Medici ipsi designarentur. Et posteaquam nova liberalibus disciplinis lux affulsit, ad easque restituendas ac propagandas aperta sunt primum apud nos, deinde aliis in locis publica Gymnasia, sancitum fere ubique perpetua lege, ut ad justos ac legitimos honores ex Medicinae studio consequendos aditus nemini pateret, nisi qui praeter Medicinae ipsius praecepta recte cognita, earum quoque rerum, quae Physices immensis prope spatiis continentur, non vulgarem scientiam attulisset.

Si igitur haec duo studia tantopere congruunt inter se, si alterum ab altero sine communis utilitatis detrimento sejungi non potest, quis non tibi vere et ex animo gratuletur, Candidate, quis te felicem non reputet, cui ad exquisitam medendi scientiam

magno et alacri animo contendenti percepta usque ab incunabulis et mente, et oculis universa Physicorum ratio viam munivit, cui quotidiana opportunitate praesidia illa domi praesto fuerunt, quibus alii multi, ut se instruere possent, longa saepe itinera, diuturnasque peregrinationes suscipere non dubitaverunt?

Sed tamen hanc ipsam ob causam pro tua singulari prudentia intelligis, quantum et quale id sit, quod abs te patria tua desiderat ac postulat. Dedisti tu quidem nuper penes amantissimum tuum Praeceptorem publice disputans, doctrinae tuae atque exercitationis in rebus philosophicis ac medicis clarissimum specimen, nullum ut possit praestantis tui ingenii, actaeque in perpetuis studiis adolescentiae testimonium luculentius desiderari. Sed magna omnino sunt, et perampla, quae abs te exspectant Cives tui, digna tuo genere, digna Parentibus tuis, ac Majoribus, quorum praeclara omnium

merita in te uno expressa videre cupiunt et sperant.

In hoc numero prima tibi occurret Avi tui memoria, quem videre ipse per aetatem non potuisti, viri artis chemicae, et medicinae faciendae peritissimi; qui cum de Aquarum natura, et indole multa, eaque valde utilia partim meditando, partim experiundo cognovisset, doctissimo ea scripto, modeste nomen suum reticens, consignavit. Patrem tuum habes praesentem, et ut diu incolumem habere possis, optamus omnes, qui et in Physicis, quae egregia cum laude publice profitetur, et in optima medendi ratione usu maximo praeditus cum aliis ex inventis famam sibi et nomen apud exteras gentes peperit, tum ex eo, quod electricis viribus ad gravissimos morbos sanandos feliciter adhibitis quam amice cum Medicina conspiret Physice, novo et insigni argumento demonstravit.

Nam de Matre tua quid dicam,

aut quo verborum ac sententiarum apparatu ad memoriam illius tecum perpetuo recolendam, ad virtutes ejus imitandas te adhorter, Candidate: quando id tibi contigit, ut ex ea nascerere, quam vidit aetas nostra feminei sexus decus tale et ornamentum, quale nec superiora meminerunt tempora, et saeculorum omnium posteritas admirabitur? Non vereor, ne quid affingere, aut verbis amplificare temporis causa videar. Quotus enim quisque est vel in hac, quae nos circumstat, tam illustri corona, qui non eam aliquando, aut etiam pluries, de rebus maximis et altissimis incredibili doctrinae ornatu, ac mirifica dicendi copia vel in Philosophicis, vel in Mathematicis disserentem, ac disputantem audierit, qui admiratione divini illius ingenii, et eloquii non obstupuerit? qui postea quam animi ejus candorem, modestiam in tanta gloria, religionem, morum sanctitatem penitus introspexit, non eam longe superiorem omni lau-

de, et quasi semet ipsa majorem judicaverit? Iam licet Aristippi filiam Areten commemorent Athenae, Hypatiam suam celebret Alexandria: has enim duas ex omni antiquitate fuisse accepimus praecellenti doctrina feminas, quae philosophandi studio non contentae, etiam philosophiae ipsius docendae munus magna cum laude publice obierint; non tamen cum hac nostra, ut opinor, comparandae: illae enim depositis aliis curis omnibus ad id unum, quod agendum susceperant, intentae, assumpto etiam virili cultu ac vestitu, proprium quodammodo sexum ejurasse visae fuerant; quae res magisterii illius novitatem minus admirabilem faciebat. At in tua Parente nulla omnino virtus, quae cum matronali dignitate congrueret, desiderari potuit: nihil ei defuit, quo minus vel in rei domesticae diligentissima administratione ad sanctissimum illud exemplum, quod Regum sapientissimus divino spiritu afflatus proposuit, for-

mata esse videretur: data ut huic saeculo nostro censeri posset non quae sui sexus esset contemptrix, quod de Romana illa Cloelia scriptum legimus, sed quae sexum ipsum ab immerito et injusto contemptu vindicaret. Quis enim jam non intelligat perpaucas ideo feminas reconditioribus litteris, studiisque liberalibus operam dare, quod tale institutum servari pluribus ex causis Reipublicae intersit; non quod multae ex ipsis non possent, si data facultas foret, praestanti ingenio, rerumque plurimarum scientia et cognitione cum doctissimis et sapientissimis viris coaequari?

Video te, Candidate, ex amantissimae tuae Matris, et quidem talis Matris commemoratione non mediocriter commoveri . . . neque id novum, aut mirum cuiquam videbitur; ecquis enim est, cujus ex animo amissae Matris memoria, tantummodo quia Mater fuit, evelli aut deleri possit? Quaenam igitur tibi adhibenda consolatio?

haec una nimirum, quod pro certo habere debes, exsolutam vinculis corporis, ac in Beatorum sedes receptam, maternam de te curam non deposuisse, te adhuc filium suum dulcissimum respicere, tuisque progressibus, ac rerum tuarum prosperis eventibus fidissimam adjutricem fore. Confectum ea viderat laetans, priusquam ex hac mortali vita discederet, ab ornatissimo tuo Fratre Sacrarum Litterarum cursum, viderat summos ei delatos honores, viderat eundem gravissimis et praeclarissimis muneribus praefectum: tibi, quem in medio studiorum tuorum cursu, sui desiderio lugentem reliquerat, nunc decreta, ut semper optaverat, cognoscit insignia amplissimae dignitatis: quis gaudium, quo exultat, enarrare possit? Spectat te ex caelesti illo, quod incolit, domicilio, et spectat, si ita loqui fas est, eodem vultu, quo tibi blandiri puerulo solebat, sanctissimisque religionis praeceptis tenerum tuum animum imbuere, aut quo grandiusculum

te, et adultum physicis doctrinis peramanter instituebat, res innumeras cognitione dignissimas menti tuae et oculis subjiciens. Ornamenta igitur, quae hic vides parata, volumus te quasi de illius manibus accipere. Ea enim profecto dedit, quae prima illa, qua te erudivit, institutione, ut aliquando promereri posses, effecit. Quod igitur tibi, ac tuo honestissimo generi bene ac feliciter vertat:

SVRGE.

Ac primum volumina haec habe patentia . . . . et occlusa . . . . fontes uberrimos Philosophiae pariter ac Medicae Doctrinae, ex quibus sive tuum ad usum, sive ad publicam utilitatem hauriendi, ut claris et excellentibus viris solet, crescat tibi in dies cura et desiderium.

Frontem laurea circumdet . . . . dexteram annulus gemma coruscans exornet . . . quae ornamenta cum per

se admodum sunt clara, tum sapientissimi Ordinis, qui decrevit, judicio et consensu clarissima; scilicet ut inter aequales tuos tanto emineas splendidi honoris insignibus, quanto ipsis antecellere solida doctrina, ac optime fundata rerum pulcherrimarum scientia et cognitione studuisti.

Dum interim more a Majoribus tradito amantissime te complector, ad Matris tuae, quae tantopere dum viveret, te dilexit, cogitationem te revoco; cui pro sollicito amore, quo te est prosequuta, vix gratiam aliam majorem referre potes, quam ut praeclaras ejus virtutes, quibus etiam magis quam excellenti doctrina explenduit, sedulo imitere: quod si a te erit perfectum, magna spes est fore, ut ea impetrante non modo beatae illius vitae, qua fruitur, compos aliquando efficiare, sed etiam ut in hac mortali peregrinatione prospera tibi illa omnia contingant, quae ad laudem ac dignitatem a modestis ac bene moratis vi-

ris sunt optanda; quaeque nunc tibi ab immortali Deo humili et supplici obsecratione communibus votis precamur.

SERMO

HABITVS V. KAL. MAIAS A. MDCCLIIII.

QVVM

GREGORIVS CASALIVS COM.

PHILOSOPHIAE LAVREA

DONARETVR

LVDOVICO INSVLANO COM.

PATRICIA NOBILITATE BONONIENSI

VI. VIRO R. P. C.

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

Iam inde ex eo tempore, quo consilium cepi nonnullorum e quamplurimis Sermonum edendorum, quos Cajetanus Montius habuit in Lyceo nostro, cum Philosophiae, et Medicinae laurea Iuvenes pro instituto, ac more veteri exornaret, eum inter ceteros in lucem emittendum

Sermonem delegeram, quem ille tum habuit, cum Gregorium Casalium Com. in frequentissimo, nobilissimoque conventu Philosophiae Doctorem renunciavit. Quî enim eum ego praetermittere Sermonem possem, qui praeterquam quod et elegans, et eruditus, et copiosus, et ad rem, uti reliqui sunt Montii Sermones omnes, apprime accommodatus est, ad illum pertinet virum, qui cum genere ortus clarissimo, amplissimisqne auctus dignitatibus, ac muneribus gravissimis perfunctus, magnarumque virtutum splendore insignis in civitate illuxit, tum erga me luculentissima, quoad vixit, singularis benignitatis praebuit testimonia, ac pignora, immo vero etiam post mortem eximias, et perhonorificas amoris significationes testatas reliquit? At vero cum singulos ego Sermones, quos in vulgus prodebam, viris utique praestantissimis, atque eorum cuique, in quorum laudibus Sermo versabatur, sive studiorum, sive dignitatum, sive propinquitatis, sive patriae vinculo ob-

strictis, deque me praeterea (quod quidem memor, gratusque animus potissimum postulabat) multiplici officiorum genere optime meritis dedicare consueverim, Sermonem idcirco, qui Casalii honorandi caussa erat conscriptus, Alamanno patri tuo offerre decreveram, patri, inquam, tuo, cui ut Sermonem inscriberem, non una, aut altera ex iis, quae me ad alios aliis inscribendos Sermones moverant, caussis, sed plures, sed omnes prope impellebant. Pater enim tuus, uti et Casalius, perantiqua, et patricia gente, atque ad communis patriae bonum nati, in splendidissimum Senatorum ordinem adsciti, summis magistratibus functi, Philosophiae universae, et Matheseos studiis insigniter dediti, in Sophorum Bononiensium coetum cooptati, Casalius alter ex Lycei magni, et Instituti Marsiliani Doctoribus Decurialibus factus; pater tuus inter ejusdem et Lycei, et Instituti Praefectos adlectus, Casalius operum scriptor cum gravitate rerum, tum

venustate sermonis probatissim orum, pater tuus scriptorum clarissimorum gratia, auctoritate, omnigenis adjumentis fautor, ac vindex auspicatissimus, summorum uterque virorum praeconiis immortalitati nominis traditi, parem et virtutum, et gloriae praestantiam adepti eminuerunt. Neque vero praeteribo, cum fuerit Casalius perquam illustribus auctus hereditatibus, quibus et Bentivolus, et Paleottus, et Berous cognominatus deinceps est, a Casalio item fuisse patrem tuum, praeter magnam ei librorum copiam praelegatam, universa hereditate transmissa supremis tabulis honoratum. Quid vero dicam de summa, ac plane incredibili patris tui erga me benevolentia? Finem vix facerem, si vel nonnisi potissima ejus in me paternae fere dixerim caritatis argumenta velim attingere. Ille enim me a prima aetate mea in studiorum meorum ratione constituenda omni ope, et consiliis praesto semper fuit; ille me in litterariis assequendis muneribus pro temporum,

rerumque vicibus quamplurimum verbis factisque juvit; ille quaecumque ipsum non tam in meam, quam in aliorum utilitatem rogassem, quaecumque ipsi vel ad disciplinarum tradendarum methodum conformandam, vel ad monumenta et liberalium, et bonarum artium conservanda, atque ad aedificia nobilissima, quae facile temporum, hominumque injuria corruissent, instauranda proposuissem, pro maxima, qua pollebat, auctoritate ad optatissimum, quantumvis aliquando difficillimum, exitum perduxit. Quorum quidem ejus non tam in me, quam in Lyceum, nedum in patriae ornamentum beneficiorum, exstat adhuc, atque in dies probata elucet utilitas. Eidem enim prope uni acceptum referri debet, si Lycei opes non modo servatae, sed auctae etiam sint, quibus et theatrum anatomicum, et officina chymices, et viridarium botanicum, et hortus agrarius partim ab incohato locisque potioribus condita, partim novis magnisque praesidiis instructa, exstiterunt, aliaque

sive bibliothecae, sive turri speculatoriae, sive ceterarum scholarum sedibus incrementa in maximum disciplinarum addiscendarum commodum; et praeclarum studiosae juventutis emolumentum accesserunt, atque sunt in posterum accessura. Porro de museo antiquitatum, quod eo potissimum adcurante et multis conclavibus ampliatum, et copiosa supellectile ditatum est, mihi est satius reticere, ne cum eidem ipsemet ego praesim, patris tui in eo nobilitando merita commemorans, honori videar quodammodo meo velificari. Hoc tamen non reticebo, etsi in laudem fortasse meam verti idipsum posse sentiam, me nihil unquam ab eo sive quod ad museum, sive quod ad quodcumque aliud rerum genus spectaret, petiisse, quod non fuerim statim consequutus. Quod quidem ipsum et de Casalio verissime posse me dicere prae me fero. Quare hac etiam de caussa, ut ad id redeam, quod ab initio ajebam, qui Montii Sermo ad Casalium pertinet, ad patrem

quoque tuum propemodum pertinet, sic ut utrique, si adhuc viverent, deferendus, nuncupandusque videretur. Quando autem naturae legibus cesserunt, et Casaliae gentis superstes reliquus nemo est, tu qui patris tui vel florente aetate ista tua eximias laudes doctrina, sollertia, vigilantia, publicisque muneribus mira sedulitate gerendis aemularis, tu nempe unus jure meritoque occurris, cui quod patri tuo offerre constitueram, offerre debeam. Hunc igitur Sermonem accipe, eumque dum tibi volens libensque dedico, singularis erga te meae observantiae testem habeto. Numne verear, ne minus accepta haec tibi futura sit dedicatio? Enimvero neque ipse quidem id vereor, neque veretur Ios. Maphaeus fratris mei filius; quin immo is mihi, eam ut sine cunctatione praestem, animum addidit, sibique sumpsit, ut et litteras hasce meas, et Montii Sermonem in manus ipse tuas traderet, meoque nomine haud quidem te rogaret, ne abnuas, (neque enim rogatu opus esse intelligit)

sed quod adnueris, gratias ageret, meque tibi etiam atque etiam commendaret. Cura, ut valeas.

Domi Idib. Iul. A. MDCCCXXX.

Si illud verum est, quod ajebat Plato, tum denique beatas fore Respublicas, cum aut docti et sapientes homines eas regere coepissent, aut qui regerent omne suum studium in sapientia ac doctrina collocassent, quam praeclaram mihi videor hodie vobis, ac unviersae civitati exspectationem commovere posse! Quod enim superiores multae non meminerunt aetates, quod ex ultima prope annalium vetustate eruendum videbatur, memoranda haec denique nobis dies ostendit: praestantem dignitate Virum, splendidissimo ortum genere, Patre, Avo, Proavo, Atavo, Majoribus aliis longo ordine per duo amplius saecula Senatoribus, Patriciis functum Magistratibus, versatum in publicis muneribus, natum ad Rempublicam

gubernandam; eumdemque tanto inflammatum doctrinae ac sapientiae studio, gravissimo hujus Ordinis probari voluisse judicio, ut existimari possit, reservatum caelesti beneficio ad haec tempora, qui singulari hujus Civitatis bono, divini illius Philosophi sententiam sit aliquando comprobaturus.

Ac ne quis forte secum reputet litterarum ac doctrinae studiis plus justo nos confidere cum Platone, quibus et imperiorum clavos, et ipsa Rerumpublicarum tradere videamur gubernacula: nos enimvero et aliam esse contemplationem fatemur, qua Philosophi utuntur, aliam civilem scientiam in rerum usu ac pertractatione positam; et hac sola fretos, etiam sine Philosophorum praeceptis, permultos optimos civitatum rectores exstitisse concedimus; nihilo tamen minus affirmare illud non dubitamus, si quis ad eam ipsam exercitationem et usum, expolitum optimis artibus ingenium attulerit, excellentem in eo ac prope divinam prudentiae

laudem, certissimumque ad civium felicitatem tuendam, quod Plato existimabat, praesidium fore. Quo in numero si exempla proferre libeat, septem illos fuisse accepimus, quorum sapientiam vetus olim admirata est Graecia, quosque uno excepto omnes suis praefuisse constat, et quidem summa cum laude, civitatibus.

Sed una ante omnes animo obversatur gloriosa illa, ac praepotens Atheniensium Respublica, quae princeps diu universae Graeciae, tum denique major se ipsa visa est, cum ad eam moderandam assumptus est Pericles, vir cum omni excellens virtutis genere, tum ea in primis laude clarissimus, quod ab Anaxagora Physico eruditus, in Philosophorum doctrina percipienda plurimum ab adolescentia studii impendisset ac temporis. Quam quidem auream Athenarum aetatem si quis cum superioribus, subsecutisque temporibus comparaverit, fateatur necesse est, inclytam illam civitatem non tam Solonis

legibus, aut Miltiadis virtute, aut justitia Aristidis, aut Themistoclis sagacitate, aut Cimonis denique victoriis ac triumphis, quam Periclis sapientia, et cultissimo liberalibus disciplinis ingenio ad tantam magnitudinem pervenisse.

Nam ut primum discipulus ille Anaxagorae ad Rempublicam gubernandam accessit, imbutus jampridem scientia rerum sublimium ac caelestium, cum ab earum contemplatione mentis aciem exercitationemque ad regendae civitatis consilia transtulisset, non erecto solum fuit animo et excelso, sublimique ac puro est usus dicendi genere, sed vultu ad majestatem composito, incessu comi et alloquio, modesto vestitu, animo ad populares motus imperterrito universam civium multitudinem adduxit in admirationem; non enim aliud vel in mansuetudine gravius, vel in severitate placabilius, vel in prosperis rebus moderatius, vel in adversis constantius meminerant ingenium: quique se in perpetua vitae ac morum

aequabilitate ad consilia prudentem, ad pericula intrepidum, ad optima quaeque rectum integrumque praestaret, summam sibi peperit non apud coactos, sed apud sponte concedentes, retinuitque, dum vixit, sine invidia auctoritatem.

Nam etsi propria natura et indoles trahebant eum ad pacis studia, tamen miscentibus jam multa Lacedaemoniis, sociosque Atheniensium ad defectionem sollicitantibus, ornatas instructasque classes in expeditionem non semel ipse eduxit, multaque suis auspiciis feliciter ac praeclare gessit, ut tamen civium sanguini parceret quantum posset, magisque ostentandis quam experiundis viribus et socios in officio contineret, et aemulam potentiam retunderet Lacedaemoniorum. Idem postquam a Persis aeternis Graecorum hostibus aliquid moveri sensit, privatas omnes offensiones temporibus patriae condonans, egregium belli ducem Cimonem paternis sibi inimicitiis infensum,

et in administranda Republica saepe dissentientem, invidia tunc civium expulsum sua ipse rogatione restituit in civitatem. Neque multo post eorum, qui secundis rebus inflati Aegypti jam ac Siciliae imperio adjiciebant animum, immoderatos spiritus repressit, positosque a majoribus fines tutari quam proferre satius esse monuit, cohibuitque dum vixit caecam atque effraenatam, et quod eventus post illius mortem docuit, nocituram dominandi cupiditatem.

Pacatis deinde finitimis, silentibusque Persarum armis ad constituendum Reipublicae statum conversus, postquam sublata jam omni contentione universos ordines ad consensum et concordiam revocavit, nihil antiquius habuit, quam ut certissimam capitalemque omnium civitatum pestem, otium ac desidiam funditus exterminaret, orsusque a primoribus ac locupletibus, Reipublicae eos adesse, rerumque suarum diligenti procuratione familiarum splendorem tueri exemplo suo

docuit: et quoniam attici exilitas agri non multis qui domestico censu vivere possent locum dabat, Solonem imitatus reliquos traduxit ad commercia et opificia cives, artibusque ipsis, quo eas factitare neminem pigeret, honorem adjunxit ac dignationem. Illud vero maximi animi et consilii, quod cum magna undique hominum multitudo propter securitatem ac libertatem ad eam urbem conflueret, in vectigalium ac publicorum redituum non modica ubertate, ut humiliorem quoque plebem aleret ex aerario, splendidissimis aedificiis ornare Athenas instituit, quae et in ipsa molitione suscitatis artibus praesentem inopiam sublevaret multorum, et perfecta decorem urbi adderent, gloriamque parerent sempiternam. Totae erant igitur in molimine Athenae, fervebant opera, materiem, aes, ferrum, ebur, marmor importabant nautae, commutabant mercibus negotiatores, elaborabant et expoliebant fabri, lapidicidae, bracteatores, statuarii, plastae,

caelatores, anaglyptae: plena erat artificum civitas, plena industriae, plena argenti, plena divitiarum. Nihil interea magnificentius, nihil augustius delubris, porticibus, theatris, quae multa brevi tempore excitavit Pericles summi artificis Phidiae, quem dispensatorem et arbitrum universis praefecerat, consilio ubique usus et opera: sed nihil etiam ad diuturnitatem perennius; non enim erant in ipso ortu intempestivae parsimoniae labefacta vitio, ut quae vel tunc, propter eximiam pulcritudinem ac majestatem, antiqua videri possent, eadem quingentis post annis integram adhuc speciem, et quasi florem retinerent novitatis.

Nam de optimis artibus, de ingenuis disciplinis quis dubitet, etiamsi vetusta reticeant monumenta, quin tantum in fovendis propagandisque eluxerit Periclis consilium, quantum se ille per eadem studia profecisse sentiebat? Testes hujus rei doctissimi et clarissimi homines, quos illa aetas partim cives,

partim incolas Athenis florentes habuit, ita in suo quosque genere eminentes ac perfectos, ut subsecuta posteritas in omni aetatum ac temporum memoria pares non invenerit. Quis enim in sapientiae studio uberior ac plenior illo tot sectarum fonte et capite Socrate? Quis in astrorum cursibus dimetiendis, et imparibus annorum conversionibus exaequandis Metone diligentior? Quis in medicinae institutis ac praeceptis Hippocrate divinior? Quis in historia scribenda gravior aut incorruptior Thucydide? Quis in tragicis actionibus sublimior aut grandior Sophocle? Quis in eodem illo genere ad miscendos animorum motus vehementior Euripide? Quorum quidem tot tantorumque virorum praeclaris exemplis ac documentis factum esse quis non intelligit, ut litterarum studia tam altas per ea tempora Athenis fixerint radices, utque ea civitas, exstincta etiam veteri potentia, doctrinae tamen et eruditionis per octo amplius saecula retinuerit principatum?

O vere igitur beatam Pericle gubernante Atheniensium Rempublicam, multo etiam beatiorem, si per longa aetatum spatia paribus doctrinae ac sapientiae divitiis refertos publici consilii auctores tenere potuisset! Sed quid tandem est, quod exemplo tam illustri proposito, non sibi de te communis haec patria nostra polliceri debeat? Semper haec civitas aedificiorum majestate, apparatuum splendore, liberalitatis magnificentia magistras illas ac propagatrices humanitatis Athenas imitari studuit, seque in Italico solo optimarum artium parentem ac nutricem, quasi alteras Athenas constitutam gloriata est; nunc te eumdem, quem olim Pericles, ingresso, et alacriter persequente vitae cursum, non minus generosam istam tuam indolem, liberalissimis excultam studiis, ornamento sibi ac praesidio putat fore, quam illa olim in Pericle sapientiae, ac potestatis conjunctio Athenis fuerit saluti.

Haec est nimirum ea spes, quam

de te jampridem concepit patria tua, et qua erecta mirificos illos tuos ad laudem ac dignitatem progressus laeta et exsultans spectavit, sive cum adolescentulus contemptis inanibus oblectamentis ad litterarum studia incredibili ardore animum admovebas; sive cum Rhetorum ac Poetarum exercitationibus, in quibus egregie profeceras, quaeque sua te suavitate pellexisse videri poterant, non contentus, ad severiora Philosophorum praecepta, abstrusioresque Geometrarum rationes praestantis ingenii, vividaeque mentis contentionem et impetum revocabas; sive cum ad bellicarum scientiam machinationum, muniendique artem profitendam, ac in celeberrimo illo elegantioris cujusque facultatis domicilio explicandam Senatus auctoritate deligebare; sive cum a sapientissimo et optimo Pontifice in eum adscriptum Academicorum ordinem, quem ipse instituerat, suoque nomine nuncupaverat, illustria quotannis tuae doctrinae in frequentissimis

conventibus praebebas argumenta; sive cum ad mathematicas disciplinas ab eodem illo suggesto tradendas novissime es designatus, quod superiori aetate summorum quondam virorum, ac in ea facultate principum Dantis, Cataldi, Magini, Cavalerii, Cassini, Mengoli, Montanarii, Gulielmini inclyta, et immortalia nomina illustraverant. Quae omnia in te, ad Rempublicam capessendam destinato, tam late refulgentia decora et ornamenta etsi nunquam dubitavit, neque nunc dubitat patria tua, quin sint aliquando in se, suamque utilitatem redundatura et commodum, tamen hoc sibi in hodierna celebritate ut praestes, etiam atque etiam requirit, et quasi pro suo jure postulat. Ab aliis videlicet celebrari, ac nomine augeri satis habet, qui si in litteris senescant, suisque laboribus ac vigiliis gloriam ipsi apud exteras gentes pariant, eorum studio et opera contenta esse potest. A te, quem sibi rectorem ac praesidem fore aliquando praevidet;

solidiora beneficia, fructusque non tam ad speciem decoros, quam ad utilitatem, et usum uberes expectat. Et hanc certissimam patriae tuae voluntatem ut toto pectore implere studeas, non domesticae te solum Majorum tuorum admonent imagines, sed ipse Parens tuus in celsissimo nunc positus dignitatis gradu, summum gerens magistratum, ad Reipublicae sedens gubernacula, magnanimitatis, prudentiae, integritatis, moderationis vivis ac praesentibus exemplis dies noctesque exhortatur.

SVRGE IGITVR . .

Et accipe decreta haec tibi honoris insignia quasi totidem monumenta, quae tantae exspectationis quam sustines memoriam tibi perpetuo repraesentent.

Sit tibi hic apex dignitatis... pro civica illa corona, quae Rerumpublicarum olim conservatores, suorumque civium defensores ac vindices honestabat.

Sit tibi anulus hic . . . sacrum quasi vinculum, quo tuam fidem patriae obstrictam memineris.

Libri clausi, . . . et aperti . . , inexhaustos tibi sapientiae ac doctrinae suggerant thesauros, ex quibus salutaria quotidie ad communem utilitatem praecepta possis depromere.

Hic denique amplexus . . . illam animo tuo altius insculpat, ad quam divinum post cultum omnia tua consilia, omnesque actiones referre debes, benevolentiam tuorum civium, et caritatem,

Quae omnia ad Dei omnipotentis, ejusque sanctissimae Genitricis honorem ac perennem gloriam, ad novum quoque amplissimi tui generis splendorem, ad hujus Collegii decus et ornamentum, ad Reipublicae salutem, ad civium felicitatem, ad aeternam totius posteritatis commendationem fauste ut eveniant opto, et prospere eventura confido,

SERMO

HABITVS III. ID. FEBR. A. MDCCLXVII.

QVVM

ALOISIVS FALCANVS

PHILOSOPHIAE LAVREA

DONARETVR

ALOISIO RODATO

DOCTORI PATHOLOGIAE TRADENDAE

IN LYCEO MAGNO

COOPTATO IN COLLEGIVM MEDICORVM

PRAESIDI ACADEMIAE SCIENTIARVM

INSTITVTI BONONIENSIS

PHILIPPVS SCHIASSIVS S. D.

Si quis est, qui clarissimi viri Cajetani Montii lucubrationum nunquam editarum fieri particeps debuerit, is tu profecto es, Rodate praestantissime. De iis enim in pereleganti ejus vitae commentario, quem paucis ab ejusdem excessu mensibus scripsisti, non mentionem modo fecisti, sed etiam ut in vulgus prodirent, cupere te, atque Eruditorum

nomine, nedum tuo, fere exposcere visus es. Ego vero earum, quotquot autographas asservo, non paucas identidem cum in lucem emiserim, singulas quidem ad te deferri volui, idque praestiti per Ios. Maphaeum Schiassium fratris mei filium, qui harum omnium edendarum rerum curam meo rogatu suscepit; cum tamen alias aliis pro re nata inscripserim, nullam tibi adhuc inscripsi: atqui inscribere tibi jamdudum, et quidem omnium primo, neque vero unam aut alteram, sed multas, ne dicam omnes, debebam. Tu enim praeterquamquod Montii, uti supra dixi, vitae commentarium elucubrasti, tu eum in Historia Naturali doctorem habuisti, tu in Botanice publice tradenda eilem successeras, tu quoque munere Praesidis Academiae Scientiarum Instituti Bononiensis, quam post temporum nostrorum vicissitudines modo revixisse laetamur, prius quam alius quisquam perfungeris, quo quidem munere perfunctus ille jampridem fuerat. Cum vero non Academiae solum de more veteri per vices, sed perpetuus ad extremum Praeses Instituti Montius exstiterit, pro certo habeo, si Institutum mansisset, ejusdem item, quae tua est doctrina,

et fama nominis, Praesidem te futurum fuisse. Quapropter quos Montius exquisitos uberrimi ingenii sui fructus reliquit, tibi non solum tradi universos, verum dedicari etiam oportebat. Quare differre me diutius non sinam, quin aliquam saltem ex ejus lucubrationibus tibi offeram. Neque vero anceps haerere possim, quamnam offeram prae ceteris. Cum enim Sermones ab eo habiti, dum laurea sive Philosophiae, sive Medicinae Iuvenes in Lyceo nostro donaret, nudius tertius prae manibus meis essent, is mihi Sermo occurrit, quem ille habuit Philosophiae lauream Aloisio Palcano, maximae tum quidem, ac plane singularis spei adolescenti, insignis deinde apud Doctos, Litteratosque celebritatis viro, conlaturus. Porro cuinam potius quam tibi eum ego Sermonem dedicem? Enimvero Sermo ipse, prope dixerim, ad te venire gestit, et quodammodo e meis effugere videtur manibus, atque in tuas avolare. Cum enim de Palcani agat laudibus, ad quemnam venire, quam ad te, maluerit, quem potissimum inter auditores suos habuisse se Palcanus gloriabatur? Quam vero is jure, meritoque gloriaretur, mitto dicere, quandoquidem laudes me tuas congerere, quas profecto

et multas, et magnas possem, necesse esset; quod non faciam; neque enim id facere me, qua es modestia, patereris. Id potius te rogabo, ut mihi, quod nuncupationem hanc meam tamdiu distulerim, ignoscas; ut autem ignoscas, pro tua in me benevolentia spero; quin vero eam sis libenter excepturus, pro tua praesertim in summos illos viros, Montium, et Palcanum, observantia, et grati animi recordatione non dubito. Vale; meque, uti hactenus fecisti, in tuis habere perge. Me quidem perpetuum clarissimarum omnis generis, quibus excellis, virtutum existimatorem habebis. Iterum vale.

Domi III. Kal. Aug. A. MDCCCXXX.

Inter salutaria monita, ac praecepta, quae veteres sapientiae magistri olim tradidere, illud ego semper maximi momenti, ac praeclarae utilitatis esse putavi, ut quoties de certo aliquo vitae genere eligendo quisque deliberat, ingenium suum, atque indolem prae ceteris rebus omnibus spectare debeat, nec quidquam aggredi, aut suscipere conetur, natura quasi invita ac repugnante, nec muneri alicui aut officio, unde regredi honeste non possit, nondum suis rite perpensis, aestimatisque viribus, praepropere studeat implicari. Non enim omnes ad omnia nati sumus, neque ad opus quodlibet fingendum, ut ajunt, quaelibet est apta materies, Sed ut qui congruentem sibi

vitae cursum perseveranter tenent, nativisque animi, et corporis bonis consentaneum, ii summa deinde cum dignitate uberrimos sibi, et aliis industriae suae fructus colligunt, ita qui aut errore aliquo ducti, aut levitate, ac tumore animi inflati, aut pravis eorum, quos verentur ac diligunt, consiliis impulsi, in aversam partem se abripi sinunt, conatus qualescumque suos improspero plerumque exitu concludunt, ignobiles, inglorii, non suis, non alienis probati; ut omnino praeclare cum illis actum videri possit, si operosissimi laboris diuturnitate ad aliquam tamen mediocritatis laudem pervenerint.

Multos equidem ex antiqua pariter, ac recenti memoria proferre possem, qui studiis relictis, quibus aetate minus firma inconsulto se dicaverant, cum eo se retulissent, quo natura eos deducebat, clari deinceps, et illustres viri, inque suis artibus, ac disciplinis perfecti extiterunt. Platonem non magno

successu poeticen in adolescentia coluisse accepimus; quem tamen brevi tempore Socratis familiaritas, atque institutio ex mediocri tragoediarum scriptore in summum ac divinum Philosophum mutavit. Chrysippus Solensis amentatas hastas torquere in primo aetatis flore edoctus, neque aliis nisi athleticis, ac militaribus studiis exercitus cum suis inceptis constanter adversari fortunam animadverteret, plusque se ingenii, quam lacertorum viribus valere sentiret, ad Dialecticam, et Philosophiam se contulit; factusque acerrimus, ac subtilissimus disputator, Stoicae disciplinae principatum diu tenuit; nihilo magis statuae honore, quem Atheniensium decreto est adeptus, quam editorum ab eo septingentorum voluminum praeconio nobilitatus. Quid Chius ille Hippocrates mathematicus? qui, ut est ab Aristotele memoriae proditum, cum negotiandi studio incensus onustam mercibus navim Byzantium appulisset, ibique homo natura simplex,

et doli nescius, calliditate eorum, qui vectigalia exigebant, circumventus, ac prope expilatus esset, tranquillioris vitae desiderio ad Geometriae studium, quasi in amicum portum, ex calamitoso illo fortunarum naufragio se recepit: quo eventu fama declarat, quae nomen illius ex lunulae in circulo quadratione, aliisque clarissimis inventis immortalitate donavit.

Sed huic, et aliis egregiis viris nonnihil obfuit, ex fallaci ingenii sui aestimatione jacturam aliquam fecisse temporis; multum profuit ad bene perspectam naturae suae rationem reliquae aetatis degendae consilium licet paullo serius contulisse. Quid de illis dicendum, qui excellenti ingenio freti, et optima proficiendi voluntate, eo statim cursum suum dirigunt, quo naturae ipsius quasi voce haud obscuris indiciis se vocari sentiunt, neque aut lucri cupiditate pellecti, aut inanis gloriolae falso splendore occaecati, aut alienis exemplis, consiliisque a recto sensu, et

certa animi sententia dimoti, in aliam se partem flecti patiuntur? Ecquid porro aliud nisi spem de se illos praebere optimam, atque exploratissimam?

Qua quidem in re, Candidate qui ades ornatissime, propitium tibi ut cui maxime Divinum Numen fuisse intelligo: non enim tibi acerrimum duntaxat ingenium, ac memoriae vim firmissimam praestitit, sed eam quoque mentem dedit, ut, ad quod praecipue studiorum genus natus aptus esses, celerrime perspiceres, in eoque industriam tuam omnem, ac sedulitatem maturissime collocares. Ad Philosophiam naturali quodam instinctu, et quasi impetu ferebare, quam plerique his temporibus ad cultum animi sic adhibent, ut ex illa, tanquam ex puerili aliqua institutione, ad alias artes viam sibi parent; in ipsius exercitatione quam minimum immorari velint. Tu autem non secus ac provinciam tibi commissam, ac divinitus traditam, summa eam voluntate suscepisti, partes ejus singulas accura-

tissime, ac diligentissime persequutus, easque initio, quae aciem ipsam mentis exacuunt, ac vera a falsis dijudicandi certam rationem tradunt. Neque obscurum esse potuit, quantum in iis profecisses, postea quam nobile illud ingenii certamen assidente summo Civitatis Magistratu in maxima sapientissimorum hominum gratulantium tibi, et plaudentium corona, adolescentulus edidisti. Physicen vero in primis adamasti, universam, quantum ea latissime patet, incredibili ardore animi complexus, et qua rerum caussas, et qua corporum vires, ac motuum leges exsequitur: nihil te ut in mechanicis fugeret, nihil in dynamicis, nihil in opticis, nihil in hydrostaticis. Quae ad studia cum longe te paratiorem venturum intelligeres, si Geometriae, et Analyseos exquisita cognitione animum imbuisses, ad eas quoque doctrinas percipiendas exercitatissimi atque optimi Praeceptoris institutione adhibita multam ac diligentem operam posuisti. Ad

haec omnia tam assiduus, tam sedulus, tam operosus, ut necessariae cuidam animi remissioni abs te concessum esse videretur, quidquid temporis humanioribus litteris ad expoliendam orationem impertiebas.

O bene, et laudabiliter actam adolescentiam! O sapienter excogitatam in tam viridi aetate reliquae vitae ducendae rationem! O progressus, et exitus praeclaros ex tam bonis initiis certissime expectandos! Quis enim de tua perseverantia dubitet? quis metuat, ne non principiis reliqua consentiant? quis te fore aliquando tui dissimilem, quis defecturam in te optimam mentem ac voluntatem succedente aetatis robore suspicetur? Contra ego sic plane existimo, sic sentio, idque ex multis indiciis colligo, cum aliis multis te excellere virtutibus, tum singularem, ac praestabilem, nullique postponendam laudem in te esse constantiae.

Et ad confirmandam expectationem, quam de te omnibus jamdiu commovisti, per manus nostras insignia honoris, ac dignitatis accipe sapientissimorum Patrum judicio tibi decreta.

Sit decus tui capitis laurea corona . . . annulus digiti . . . quae ornamenta honestissimis studiis ita constituerunt Majores nostri, ut non tam primi spatii cum laude confecti praemia esse vellent, quam ad metam assequendam bene moratis animis stimulos, atque incitamenta.

Librum clausum tibi trado . . . et mox in tuo conspectu aperio . . . nempe ut intelligas, doctrinae professionem, quam suscipis, non magis ad tuae personae privatum decus, et ornamentum, quam ad publicam utilitatem referri oportere. Quamquam monitore non eges: scio enim, quam praeclara sint, quae meditaris, et animo agitas, jam jamque diem illam videre videor, quam

proxime auguror futuram, cum te disputantem publica Gymnasia excipient, et tibi ad gravissimum docendi munus aliquando sustinendum viam aperient.

Cujus ego diei gaudium hodierna die praecipiens, et consequentia animo cernens, tibi quid cupiam, abs te quid sperem, hoc meo amplexu benevolentiae, et gratulationis teste palam significo.

Faxit Deus Optimus Maximus, Deique Parens Virgo Sanctissima, ut quae tibi hodie precamur laudis ac dignitatis incrementa, ad perennem tui nominis famam, ad universae quoque Reipublicae utilitatem, hujusque nostri Collegii perpetuum decus et ornamentum, fauste, prospere, et feliciter succedant.

KAL. AVG. A. MDCCCXXX.

Vidit pro Eminentissimo, et Reverendissimo D. D. CAROLO CARD. OPPIZZONIO CAMILLVS TARTAGLIA Doct. Philol. Praep. Basil. Petronian. Rector Sacr. Semin. Bonon.

Vidit pro Excelso Gubernio DOMINICVS MANDINI S. T. D. Coll. Prior Parochus et Exam. Synod.

Imprimatur

LEOPOLDVS PAGANI Archipr. Metropol. Provic. Gen.